Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Sub Auspiciis SS. & Individuae Trinitatis Consensuq[ue] Venerandi Theologorum Ordinis Moderante ... Dn. Johanne Fechtio ... Problema Theologicum Loco Disputationis Circularis Propositum De Massa Ex qva Christus natus Præservata

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingi[i], Sereniss. Princ. & Acad. Typogr, [1707]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. 4.Juni.1707
Fecht, Jo.
18

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0003
DFG

SUB AUSPICIIS
SS. & INDIVIDUÆ TRINITATIS
CONSENSUq; VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS
Moderante
VIRO SUMME REVERENDO
DN. JOHANNE FECHTIO
SS. THEOL. DOCT. ejusdemq; PROF. PUBL. ORDIN.
LONGE CELEBERRIMO CONSIST. DUC. MECKL. CONSIL.
GRAVISS. DIST. ROSTOCH. SUPERINTENDENTE VIGILANTISS. VENERANDÆ FCTIS SUÆ SENIORE &
h. t. DECANO *MAXIME VENERABILI*
DN. PATRONO PRÆCEPTORE AC IN CHRISTO
PATRE FILIALI AMORIS ac HONORIS CULTU ÆTATEM COLENDO
PROBLEMA THEOLOGICUM
LOCO DISPUTATIONIS CIRCULARIS PROPOSITUM
DE
MASSA
Ex qva CHRISTUS natus
PRÆSERVATA
IN INCLYTÆ VARNIADUM ACADEMIÆ
Collegio Maximo
Ad diem IV. Junii A. O. R. MDCCVII.
Eruditorum Censuræ
publicè submittit
ERNEST. FRIDER. KESSELRING,
Regio-Monte Prusſus.
ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
& *ACAD.* Typogr.

Universitäts-Bibliothek Rostock

DEO
PATRIÆ
PATRONIS
&
AMICIS

D. D. D.

AUTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0006
DFG

Q. D. B. V.

DE

MASSA

ex qva CHRISTUS natus,

PRÆSERVATA.

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Uo inexhauſtæ ſcientiæ myſteria, ſumma Chriſtianismi noſtri capita: Alterum de DEO *Triuno*: Alterum de Chriſto *Binuno*; Deus eſſentiâ *unus*, perſonis honoratur *trinus: Fides enim Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate: & Trinitatem in unitate veneremur.* Chriſtus perſonâ *unus*, naturis creditur *binus*: *Fides enim recta hæc eſt, ut credamus & confiteamur, qvia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt. Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.* Myſteria hæc magis miranda, qvam rimanda, magis credenda, qvam demonſtranda. Eqvidem non defuere ullo unqvam tempore procacia ejusmodi hominum præcordia, qvæ ſumma hæcce Pietatis myſteria πολὺ μὲν τὸ θαῦμα, loqvente Chryſoſtomo, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον complectentia, ingeniosa ſuæ mentis vafritie excolere atqve penetrare voluerunt; Aſt Chremete Terentiano ſapidiora, nil magis qvam nodum in ſcirpo ſe qvæſiviſſe oſtenderunt. *ANGLIA*, fœcundiſſima horum mater,

Mysteriomachos tales, *mysterium* præprimis *SS. Triados*, insanâ suâ stribligine truncantes, Orbi literato obtrudere ac infelices suos partus qvaqvaversum diffundere haud verecundantur. Non referam jam Sectam *Latitudinariorum*, in Anglia eqvidem intricatam at longè famosam, hujusve defensores, Blountium, Lockium, Boldium & alios, qvorum vestigia satis expressit *Latitudinarius Orthodoxus*, (1.) utpote nullum in religione Christiana mysterium admittentes, qvin omnia dogmata ob solam rationis evidentiam credenda esse asserentes, qvi licet homines Trinitatem jactitent, nil minus tamen qvam unitatem credant, firmiter namqve persvasi, Patres tum Ante- tum Post-Nicænos Tritheismum statuisse, prout id tot scripta in Anglia de genuina Patrum sententia qvoad mysterium Trinitatis evulgata, satis luculenter comprobarunt. Nec litem movebo *Socinianis Anglis*, qvi præter unum verum Deum tres sub-Deos sive Spiritus-Deos facere non erubuerunt. 2) Claret hodiè in Anglia Trinitas *Cartesiana*, vel si mavis ab ejus Promacho (3.) *Sherlockiana* dicta, qvæ ex principio Cartesiano tres solùm infinitas mentes seu Spiritus Unum Deum constituere admisit. Claret Trinitas *Ciceroniana*, ex affinitate etiam *Sabelliana* dicta, occasione motus Sherlockiani à

Jo.

(1.) *Qvi est* Arthurus Bury, *Theologus Oxonienſis & Colleg. Exonienſ. Rector. vid. Bibliograph. Erud. Curioſ. p. 52. in libro ſub tit. Latitudinarius Orthodoxus: Lond. 1697. edito, qvem recenſent Act. Erud. Lipſ. anno 1697. menſ. Nov. p. 493. ſeq. qvorum* Φλυαρίαν *exhibuit* P. Jurieu, Gallus, *in Libro: La Religion du Latitudinaire avec Apologie pour la Sainte Trinité. Lond. 1696. vid. Act. Erud. Lipſ. anno 1697. menſ. Febr. p. 54. Qvi Autor easdem de Trinitate lites cum Elia Saurino habuit, qvas ipſe enarrat in tract. Idée des ſentiments de M. Saurin ſur les Myſteres de la Trinité & de l' Incarnation.* (2) *Vid. Aut.* der Unſchuld. Nachricht. *de Anno 1702. p. 345. de qvorum ortu & progreſſu eleganter diſſeruit Maximè Rever. Dn. D. Henr. Aſc.* Engelcke/ *Patronus ac Præceptor meus ſummopere colendus, in Diſp. prælim. de Damnabili Socinismi Gangræna Sect. III. §. VII. Roſtoch. 1706. habita.* (3) William Sherlock, *Londini ad. D. Pauli Decanus, edidit Vindicationem de SS. Trinitate & filii Dei incarnatione Lond. 1690. qvam recenſ. Act. Erud. Lips. de anno 1691. menſ. Maj. p. 213. ſeqv.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0008
DFG

Jo. Walliſio, (4) Theologo Oxonienſi, introducta, qvi per tres perſonas, tres tantum operationes intelligi publicè docuit. Claret Trinitas *Platonica*, à D. *Radulpho Cudworthо* (5) explicata, qvi dogmata Platonis ſecutus tres divinas & coæternas, haud æqvales tamen, ſed ſibi invicem ſubordinatas admiſit perſonas. Claret Trinitas *Proprietatum*, ab Autore *Hockeriana* (6) vocata, cujus vice alii (7) ſubſtituunt Trinitatem *vulgi* h. e. pigrorum qvorundam hominum, qvi breviter dicant: Myſterium eſſe Trinitatem. Claret Trinitas *Ariſtotelea*, à *Roberto Southo*, (8.) Theol. Doct. noviter invecta ac defenſa, qvæ cum receptæ Chriſtianorum de hoc myſterio doctrinæ vix ac ne vix contradicat, meritò cœteris palmâ præripit. Diverſos hos myſterium hocce explicandi modos ex Anglis patefecit celeberr. *Edwardus Stillingfleet*, (9) Worceſtrienſis Epiſcopus, qvem ex Germanis laudabili modo inſecuti, Illuſtris Pomeranorum Theologus, Magnif. Dn. D. Jo. Fried. MAYERUS, (10) & ex Almâ Roſarum Maximè Reverend. atqve Magnif. Dn. D. Zach. GRAPIUS, (11) Patronus ac ſtudiorum meorum Fautor ſubmiſſe colendus. Aſt qvid multis de Angliâ? Sanè pruritum ingeniorum prorſus æqvalem, eandem inſanæ mentis proterviam & in BELGIO, variorum Schismatum nutritio, reperiri, in comperto eſt, etenim easdem qvæ apud Britannos increbuêre dogmatis de SS. Trinitatis myſterio expoſitiones, invenies & apud Ba-

(4) *in VIII. Epiſt. & III. Sermon. Oxonii habit. de SS. Trinitatis doctrina.* (5) *in Genuin. Syſtem. intellectual univerſi.* (6) *in Politiâ Eccleſiaſtica propoſita, quam recenſ. Dn. D.* Mayer *infr. cit.* (7) *Stillingfl. loc. citand. & Dn. D.* Engelk. *l. c.* (8) *in Animadverſ. Sherlocko oppoſit. variisq; ſcriptis aliis.* (9) *A Diſcourſe in Vindication of the Doctrine of the Trinity &c. h. e. Vindiciæ pro Doctrina de SS. Trinitate, unà cum Objectorum nuperà Sociniano ex Scriptura, antiqvitate & ſanâ ratione, ſolutione: nec non præfatione diverſos doctrinam de* Trinitate *proponendi modos & finem, ad qvem Socinianiſmus collineat, concernente. conf. Act. Erud. Lipſ. de anno 1698. menſ. Novembr. p. 496. ſeqv.* (10) *in Epiſt. de Controverſ. Antitrinitar. in Anglia recens agitatis ad Kilonienſes tranſmiſſ. Hamburg.* 1700. (11) *in Diſſert. erud. Controverſias ſelect. & recentior. de Myſteriô SS Trinitatis ſiſtente Roſtoch.* 1703. *edit. in qva judicium de ſingulis ſolidè interpoſuit.*

tavos. Sileo recensere *Petrum Chauvinum*, (12) qvi cum Arminianis Batavis mysterium hocce SS. Trinitatis ad rationis admovere trutinam ausus fuerit, cum qvô proinde *Vrignyus*, (13) qvidam Gallus, in arenam descendere non detrectavit. Nolo mentionem injicere *Hermanni Deusingii*, (14) Ecclesiastis cujusdam Districtûs Grœningensis, qvi Mysterium hocce non Mysterium sed dogma cuivis sano homini facile comprehensibile pessimè jactitavit, de qvo celeberr. Dn. D. LöSCHERUS. (15) Sat celebris *Benedictus Spinoza*, (16) unicam dari substantiam, qvæ sit Deus & hanc variè modificari asserens, (17) qvem frustra hic *Jo. Georg. Wachterus* (18) Theologus Clivensis, defendere tentavit. Celebris est *Petrus Poiretus* (19) Theologus Gallus in Belgio degens, qvi Trinitatem solis nominibus distingvi publicè defendit; Censorem ex Nostris nactus B. Dn. D. *Jo. Gvilelm. Bajerum.* (20) Celebris est *Jo. Clericus*, (21) qvi realem distinctionem inter

(12) *Edid. anno 1693. Gall. librum de Naturali Religione & mox Dilucidationes super hunc librum R. N. in illo Part. II. Cap VIII p. 294. vid. Act. Erud. Lipsi. de anno 1693. mens. Novembr. p. 499. sq. & de an. 1694 mens. Novembr. p. 423 seqv.* (13) *in Epist. contra Anti-Trinitarios, Tolerantes & Moralistas evulgata cum Animadversionibus ad librum, cui tit. R. N. ref. Act. Erud. Lipsi. de an. 1694. mens. Nov. p. 412. sqv. ad celeberr. Dn. D.* Buddæi *Disput. Inaug. sist. Animadv. in Petri Chauvini librum de R. N. sub Præsidio* B. D Jo. Gvilielm. Bajeri *p. m. Halæ Magdeb. 1695. habit. qvæ est inter Autoris Pareng. Historico-Theolog. X.* (14) *in Demonstrat. Allegoriæ Historicæ & Historiæ Allegoricæ V. & N. T. cui accessit Revelat. Mysterij SS. Triados p. 25. conf. Act. Erud. Lipsi. ann. 1702. mens. Sept. p. 392. seq.* (15) **in Unschuld. Nachricht** *anno 1702. p. 686. seqv. add. Dn. D.* Grapii *Colleg. Recent. Controv. MSS. Cap. II. qv. 8. & 15.* (16) *de qvo* Bayle *in Dictionaire Histor. & Crit p. 1085.* (17) *conf. celeb.* Wittichii *Anti-Spinoza sive Examen Ethices Bened. Spinozæ 1690. edit. itemq; Dn. D.* Buddæi *Disp. de Spinozismo ante Spinozam. Halæ 1701. habit.* (18) *vid. Autor.* **des Alten und Neuen** *de anno 1703. pag. 52.* (19) *in Epist. ad Autor. Biblioth. Univers. §. V. annex. libro ejus d. de solida falsæ & suspectæ Eruditione p. m. 492.* (20) *in Dissert. de Monarchianis Jenæ habit. p. 22.* (21) *Edid. sub nomine Liberij à S. Amore (Clericum esse testatur Poiret Epist. cit. §. III.) Epistolas Theologicas, qvarum vid. Cap. II. & III.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0010
DFG

inter Deitatis personas tollendo, qvid asseruerit judicatu facile, rectissimè hinc notatus à celeberr. *Dn. D. Jo. Andr.* Schmidt (22) Helmstadiensium Præside. Celebris *Hermannus Alexander Roëllius*, (23) Theologus Franeqveranus, qvi itidem ex principio Cartesiano nullos Characteres in Deitate personales admittens, ex merito Theologorum Batavorum, *Campegii Vitringæ*, *Renzii Meilsmæ* itemq; *Davidis Hugvenini*, Prof. Duisburgens. censuras incurrit. (24) His ultimò jam necterem *Antoniam Bourignoniam* mulierem famosissimam, utpote qvæ tres tantum in Deo concedens proprietates, qvæ speciem personarum repræsentent, stringente calamo notata à clarissimis Hollatiæ Ecclesiarum Antistitibus, Dn. M. *Wolffgango Ouw*, (25) Pastore Flensburgensi, & Dn. M. *Georg. Henr. Burchardo*, (26) Ecclesiaste Schlesvicensi. Plures addere supersedeo, cum numerum justum supplebunt B. Dn. D. Just. Christoph. SCHOMERUS, (27) immortalis memoriæ Theologus, Maxime Rever. Dn. D. GRAPIUS, (28) & Plurimum Reverend. ac Præcellent. Dn. M. ZORNIUS, (29) Præceptor meus æstumatissimus. Imò ulterius sicco silentii socco involvo *Gallorum*, Deistarum, Leonis Gvitonerii &c. *Italorum*, Franciscí Burrhi &c. *Polonorum*, Bideitarum, Tritheitarum & Semi-Judaizantium pessimi Socinismi dogmata, de qvibus conferri poterit prælaudat. Dn. M. *Zornius*. (30.) Qvid verò jam mirum, si hæ infeli-

(22.) *in Animadvers. ad Liberii de S. Amore Epist. Cap. III. & IV. conf. Melch.* Leydekker. *in Veritat. Evang. triumph. Tom. II. de verit. Relig. L. 1. c. 2. pag. 24.* (23.) *in Dissert. de Generat. filii & morte fidelium, alterâ, Franeqv. 1690. edita num. 52. p. 31.* (24) *vid. Dn. D.* Grapii *Disp. Supra cit. Qv. 12. & conf. Frider.* Spanhemii *Elench. Controv. de Religione in Append. p. 670. seqv.* (25) *In Apocalypsi Hæreseos Anthoinette Bourignon & c. Cap. III. p. 156. sq.* (26) In denen Christlichen Anmerckungen über die groben und meist GOTtesläster. Irrthümer und Lehren / welche gefunden werden in den Schrifften der *Anth. Bourign. Annot. III. p. 63. seqv. & Parallel. VI. p. 128. seqv.* (27) *in Colleg. novissimar. Controv. Cap. IV. Disp. V. qvod obstetricante manu edidit Dn. D.* Engelcken. *Rostoch.* 1703. (28) *ex Colleg. Recent. Controv. MSS. it. Disputat cit. & ex Fasciculo Controv. Exoticar. Loc. III. Rostoch.* 1705. *publicato.* (29) *Ex Colleg. Histor. Relig. Mot. MSS.* (30) *in Luthero Cathol. p. 30. & alibi.*

felices radices, & porrò infeliciſſimos protuberarunt ceſpites, adeò ut ſublatô ſanctiſſimo de Deo *unotrino* myſterio, alterum, de Chriſto *binuno*, religionis Chriſtianæ caput, iisdem abſurdarum opinionum diſcerpſerint lacertis. Teſtes & hac in parte erunt præter jam adductos, *Arthurius Burius*, Anglus, qui in Libro Anglico (31) poſt ab Academia Oxonienſi ultricibus flammis tradito, ſub nomine Athanaſianorum Orthodoxos peſſimè ſugillare non intermiſit, hinc ab Autoribus des Alten und Neuen (32) ex merito Catalogo Bibliothecæ Atheiſticæ adſcriptus. *Georgius Keithus*, Anglus, famoſus Qvackerorum Doctor in Schola Latina Philadelphienſi, de humanitate Chriſti peſſime ſenſit, qvi obſervante *Croeſo* (33) ob id Keithum in Synodo generali Qvackerorum publicè damnatum atqve ab officiô remotum fuiſſe, teſtatur. *Gabriel à Coſta*, poſt in circumciſione *Uriel* vocatus, Atheus Batavus, qvi articulum de Chriſto minus eſſe fundamentalem aſſerere non erubuit. Sed ad rem propius, qvid boni & in GERMANIA? Vah! qvæ hic dementia cœpit *Scidelium*? qvæ malitia Paulum *Felgenhauerum*? quæ impudentia *Democritum*, vel rectius *Lucianum*? Primus Chriſtum adventurum negare; (34) alter adventantis humanitatem convitiis conſpurcare; (35) poſtremus ejusdem notitiam planè flocci pendere (36) non fugiunt. Qvæ malitia Seculi! Myſteria proinde tanta, ſuper qvæ fundamentum Chriſtianæ religionis exſtructum, qvotiescunque pii divinæ veritatis amatores & æſtimatores defendere vel contra tales inſultus vindicare allaborant, id faciunt, qvod eorum officii & muneris efflagitat ratio. Ego divinô auxiliô fretus de Myſterio illô altero, in qvo omnis noſtra fundata ſalus, Joh. XVII, 3. qvædam dicere ac contra impios ac Atheiſticos ejusmodi homines, qvales proh dolor! noſtra fert hodie tellus, nonnulla proferre apud me conſtitui, & ut aliqvid haberem, in qvô & vires meas periclitari, & ut temporis hactenus in Almâ hâcce chariſſimâ peracti, jam valedicens, ſecundum Leges Academicas reddere rationem, ſimul & ſtudiorum meorum Patriæ meæ, Patronis

(31) *Naked Goſpel ſive de Nuditate Evangelii Lond.* 1697. (32) *de anno* 1702. *p.* 360. (33) *in Hiſtor. Qvacker. Lib. II. pag. m.* 280. (34) *vid. Martini tract. de tribus Elohim Cap.* 64. (35) *vid.* Unſchuld. Nachrichten, *anni* 1705. *p.* 646. *qvem fruſtra & hac in parte à Sociniſmo purgare allaborat* Gottfried Arnold/Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie Part. III. Cap. V. §. 16, (36) Wein und Oehl p. 172. ſeq.

tronis latqve Præceptoribus meis multis nominibus colendis aliqvod exhibere specimen posſem, in rubro notatam mihi elegi materiam, sub qvæstione illâ: *An Spiritus S. sangvinem, ex qvo Christus nasci debuit, postqvam à reliqvo sangvine segregatus est, à peccato eidem inexistente purificaverit: An potius illum sangvinem anteqvam materia generandi Christi fieret, singulari providentiâ præservaverit, ne labes ei aliqva adhæreret, sed purus in locum generationi destinatum, perveniret?* ventilandam. Qvam consensu Summè Rev. Dni. Doct. Præsidis mei, eò promptius in me pertractandam suscepi, qvò sæpius animadverti, materiam hancce non tantum diu à doctissimis passim viris tactam, sed & qvæstionem illam noviter abs Autore Mensium Reservatorum (37) orbi literato exhibitam esse, spe subinde nixus firmissimâ, sub umbone Altissimi, & veritatem qvoqve hancce, qvæ κατ' εὐσέβειαν est, sartam tectamqve semper manturam esse. Initio qvidem prævideo, non defore qvosdam, qvi super hisce conatibus meis aliqvos censuræ suæ funiculos ducere, meqve cum nimiæ & inutilis curiositatis, tum arrogantiæ sat grandioris accusare non intermittent: Incusabunt me curiositatis, qvod videlicet novas hic spargere voces, novas nundinari Theologiæ merces ausus fuerim. Incusabunt me arrogantiæ, qvod rudis ego juvenis non tantum à tritâ viâ deflectere sed & Theologorum lateri me jam jungere coner. Verum enim verò si his ipsis tua L. B. mens in contraria fertur, nihilominus ignoscendo cespitanti, conatibus meis fave. Nec enim is statim curiosi nimis indagatoris nomen juste incurret, qvi rem alias arduam ex veris fidei fundamentis decidit, decisam apponit: Nec arrogantiæ ille incusandus, qvi authoritate præstantissimorum alias virorum modestè sepositâ, suffragia aliorum arripit, atqve in iis defendendis non tam copiam authoritatis qvam lumen veritatis undiqvaqve relucescentis sectatur. *Multa sunt*, inqvit benè Augustinus (38.) *ex qvibus inter se aliqvando etiam doctissimi atqve optimi Regulæ Catholicæ defensores salvâ fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius.* De cœtero nec me peccare spero, qvando qvæstionem *de Præservatione*, qvam Problemati-

(37) *Part. I. offert. XII. num. 3. pag. 999. seqv.* (38) *Libr. I. contra Julian. Cap. IV.*

maticam esse lubens profiteor, paulo accuratius, adductis pro affirmativâ ejusdem qvæstionis sententiâ argumentis, ut *Problema Theologicum* ob oculos posuerim, cum solum periculum esse soleat in problematibus haud rite expositis. Prouti *Justinus Martyr*, dum κατ' ἄνθρωπον sæpè disputavit, argumentis non semper firmissimis (ipsius qvippe seculi indole impediente) usus infrunitas censuras atq; sugillationes *Hallensium Observatorum* (39) incurrit, qvamqvam easdem B. Pater omninò evitasset si vel luculentius vel aptius, prolixius in medium adductis vel asserendi vel dubitandi argumentis, qvæstiones problematicas proponere per seculi genium potuisset. Et eadem qvoqve fata expertus Tertullianus nimium problematibus indulgens, qvod fusè ostendit *Georgius Bullus*. (40) Methodô verò hacce B. PP. observatâ, illorum & ego, qvanqvam impari conatu, vestigiis insisto & qvemadmodum illi laude suâ non defraudandi, ita & ego si non laudes, quas hic non affecto, veniam tamen apud eruditissimos qvosvis, qvorum pectoribus veritatis amor insidet, me facile consecuturum confido, præsertim si benè ponderetur ab erudito Lectore & hodie apud Scriptores Anglicanos, qvi Atheos vel homines pessimos oppugnant, morem esse freqventissimum, tales hujusmodi vel tantum κατ' ἄνθρωπον propositis argumentis ad meliorem reducere mentem; qvales proinde cum & nostra foveat Germania, qvi ab Atheismo vel Deismo & Naturalismo, qvod vel in Dippelio apparet, non abhorreant, consultum esse cuivis patebit, tantorum virorum artem disputandi imitari, hisqve ipsis etiam eosdem refellere. Qvod reliqvum, ignosces L. B. si totam hanc Disputationem rudi tantum minervâ conscriptam cognoveris, temporis enim qvo hæc consarcinavi angustia & subsidiorum paucitas majorem huic materiæ impendere laborem haud permisêre. Ad Te vero, Alme DEUS, ante omnia me devolvo, Te supplex rogo, ut conatibus meis ex alto favere, Spiritum veritatis mihi benignè largiri, totumqve propositum meum in Nominis tui gloriam clementer dirigere velis. אלהים יחננו ויברכנו יאר פניו אתנו סלה׃

§. 1.

39] *Tom. II. Observ. VII. pag. 89. seqv.* (40) *in Defensione fidei Nicenæ de æterna divinitate filii DEI &c. vid. Act. Erud. Lipsi. de anno 1688. mens. Decembr. p. 647. seqv.*

§. I.

COmmunior hactenus ac vulgarior de Conceptione J. C. Majorum doctrinâ & pietate celeberrimorum, Theologorum de Ecclesia J. C. meritissimorum, paucis forte exceptis, ad hæc usq; tempora fuit sententia: Massam illam B. Virginis sanguineam, ex qva Christus Salvator mellitissimus concipi ac nasci debuerit, in temporis plenitudine demum à Spiritu S. segregatam, sanctificatam ac ab omni peccati ac contagionis labe purificatam esse, id qvod ipsam ἐπέλθσιν Spiritus S. de qva Luc. I. 38. involvisse, ostendere annisi fuére, illam nim. IV. absolutam fuisse actibus, nobilissimi sanguinis segregatione, segregati purificatione, animæ propagatione & tandem sanctissimi corporis effigiatione, qvos, veteres Theologos secutus, ordine recensent B. Dn. D. KÖNIGIUS (1.) ac Maximè Rever. atqve Magnif. Dn. D. GODOFR. WEGNERUS, in CHRISTO Parens, Præceptor ac Evergeta meus omni honoris ac filialis amoris cultu æternum colendus. (2) In qvo divinæ sapientiæ placito Theologi ita perstitere, ut vi ἀναμαρτησίας Christi non tantum piè in illo acqvieverint, hæc in fide credentes, cætera castissima sub Chuppa stupendo adorantes, sed & omne adversum illo ipso strenuè repudiarint. Qvod *Præservationem Massæ*, ex qva Christus conceptus ac genitus, qva ab omni peccati infectione purus ab Adamo usqve *præservatus*, ita ut ne quidem indiguerit purificatione, concernit, à paucis noviter assumpta atqve probata est, qvorum tamen scripta publica, ex instituto & fusè ea de re agentia, adhuc latent, à multis è contra rejecta ac repudiata. Illos enim errare, qvi Massam hanc in lumbis Adami *præservatam* fuisse asserant, præ cæteris olim graviter pronunciavit B. D. Joh. Adam. OSIANDER; (3) inter figmenta verò & Scholastico-

(1) *Theol. Posit. Part. III. §. 292. p. 162. add. B. Qvenst. Syst. Theol. Part. III. Cap. III. Sect. I. p. 338.* (2) *in Isagoge ad Theol. Posit. König. Loc. de Christo Qv. 252. pag. 264.* (3) *in System. Theol. Exerc. LVIII. Th. IV. num. 3. p. 321. cui jungi posset B. D. Calovius. b. m. in Syst. LL. Theol. Tom. VII. Art. 2. Cap. 2. Qv. 4. p. 126.*

rum somnia opinionem hanc hodienum recenset nunqvam satis laudandus Dn. Doct. Gothofredus WEGNERUS, (4) qvem DEUS diu servet! Ast parcant manes Viri illius νῦν ἐν ἁγίοις supra omnem qvoqve laudem meam positi, cujus cineres ac nunqvam morituram memoriam grata adhuc celebrat posteritas: Concedatqve tua, Magnifice WEGNERE, veneranda authoritas, qvam qvoad spiritus hos reget artus omni debita reverentiâ ac submissione veneror, si argumentum meum præsens in id occupatum fuerit, demonstrare: *Massam illam sangvineam, ex qva Salvator noster sanctissimus in utero concipi debuerit, non demum fuisse in Maria à Spiritu S purificatam, sed jam in Adamo usqve ad Mariam per divinam omnipotentiam ac omnisapientiam præservatam.* Utrinqve qvidem periculosi prominent scopuli, ut caro Christi totaqve humana natura ex Patribus secundum analogiam fidei dextrè asseratur, neqve tamen cuiqvam, ac si confinio peccaminosæ carnis destinata corpori Christi massa læsa sit, dubium relinqvatur; Ingenuè tamen fateor, salvâ omnium authoritate, sententiam hancce & Sacræ Scripturæ Analogiæve fidei conformiorem & contra insultus impiæ Fanaticorum hodiernorum colluviei tutiorem esse, qvâ Orthodoxia de plenâ J. C. innocentia ac sanctitate vindicetur & Heterodoxia Fanatica refutetur.

§. II. Sententia equidem primore intuitu nova ac singularis, attamen & in Ecclesia Christiana jam personata ac ventilata. *Origo* siqvidem illius, qvam ego qvidem penetrare potui, nonnullis debetur *Scholasticorum*, qvi vel ex singulari reverentiâ sanctissimum erga Mariæ filium, ad extricandam ejus immunitatem ac ἀναμαρτησίαν, massam illius ab Adamo ad Mariam usqve ab omni peccati labe *præservatam* fuisse: (5) vel ex nimiâ su-

per-

(4) *in Dissert. Inaug. Syncrisin Adami primi & secundi exhibente Halæ Saxonum* 1694 *habit. Aphor.* III. §. 12. *p.* 38. (5) *Ita edoceor à Megalandrô nostrô B.* LUTHERO, *qvi Comment. magno in Genes. Cap.* XXXVIII. *eleganter scribit: Disputant Doctores Scholastici, utrum* (Christus) *natus sit ex carne peccatrice, an munda. An servaverit DEUS à condito mundo aliqvam puram guttulam carnis, ex qva Christus nasceretur. Respondeo &c. Conf. qvoqve* Thomas, *in Summâ Part.* III. *Q.* 31. *art.* 6. 7. *& in* III. *Sent. Dist.* 3. *qv.* 4. *art.* 4.

perstitione erga ipsam B. virginem, qvam ut eo magis ac facilius ab omnibus peccatis tam originali, qvam actualibus immunem evincant, eandem jam ante lapsum Adæ secundum materiam creatam carnemqve ipsius ab omni macula peccati præservatam fuisse, (6) defendere ac vindicare nullo tempore desiêre. Posterius ut absurdum omnium maximum meritò à nostris dudum rejectum ac solide refutatum; etenim nugæ! qvibus hi canunt trophæa ante victoriam. Prius ut παρέδοξον in tantum relictum, in qvantum nondum satis evictum. Eqvidem utrum illorum ad hanc sententiam deveniendi meditationibus ansam dederit vel *Judæorum* גלגול Cabbalistica, vel *Origenis* de Præexistentia animæ Christi famosa assertio, eruditorum committo arbitrio; conjectura licet utraqve satis probabilis, certitudo tamen ejus maxime fallibilis, ut proinde in dubiis nil nisi conjecturari fas sit. A Scholasticis vero primum acceperunt *Reformati*, testis est Hieron. ZANCHIUS; qvi licet antea hypothesin qvoqve hancce ex ignorantiâ & errore profluentem, fanaticam pronunciaverit, (7) postea tamen cum iis inter ipsum & *Jac. Bordesium* de qvæstione: num meritum mortis Christi fuerit necessarium ad carnis ipsius sanctificationem? intercederet, ad illam accedere, cum aliis ipse coactus fuit. (8) A qvibus & *Lutherani* assumpserunt. *Primus*, qvem ego memini, qvemqve primò meminisse par est, qvi hanc sententiam ad castra Lutheranorum traxit publicêqve de cathedra Lutheri, approbantibus summis Theologis, defendit, est celeberr. *Pomeranorum* Præsul, Illustris Theologus, Dn. D. Jo. Fr. MAYERUS (9) qvi difficulta-

(6). *Ita cum aliis* Petrus Galatinus *de Arcan. Cathol. verit. Libr.* VII. *Cap.* 3. & 4. *fol.* 380. *sq. vid B. D.* Eliæ Veielii. *Romano Catholico Dubitantius in Disputatione de Conceptione B. Virg. per D.* P. *F. Petrum de Alva & Astorga in labyrinthos inextricabiles conjectus p.* 6 *sq.* (7) *Libr.* II. *de filii* DEI *incarnatione*, *Cap.* III. *Qv.* III. *inter ejus Opera Tom.* VIII. *fol. m.* 66. (8) *in Epist. ad* Jac. Bordesium, *Heidelb.* 1576. *script. qvæ reperitur Libr.* 1. *Epist. fol. m.* 172. *annex. Tom.* VIII. *Oper.* (9) *in Dissert. Select. Kilon. & Hamburg. Append. ad Disp.* 1. *de humani generis reparatione per cruentam* DEI *mortem. Hamburg. habit. p.* 36. *seqv.*

tes conseqventiarum inevitabiles, inextricabilesqve difficultatum tricas optimè prævidens huic adstipulari asserto, nullus dubitavit. Qvem hinc & mox alii Theologi magni nominis insecuti, qvorum consensu & assensu & ego instructus, hæc me moliri, publicè profiteor.

§. III. Initio qvidem, ut ad priùs devenlam, indubitatum pono, Christum ex Patribus, tum Adamo tum reliqvis idem *corpus*, eandemqve traxisse, qvoad naturalia, *animam*, qvibus cœteri homines gaudent. Christum corpus suum ex Adamo accepisse, adeoqve talem carnem qvoad naturalia, qvalem reliqvi habent homines, ex Patribus assumpsisse nimis clarè demonstrant S. literarum paginæ. *conf.* Matth. I. 1. *coll.* Luc. III. 31. -- 38. Genes. III. 15. XXII. 18. Hebr. II. 11. 16. Act. II. 30. XVII. 26. Rom. IX. 5. adeò ut de ipsa re certi, merito de *Modo* doctis relinqvatur disqvisitio. In antecessum observatu non ingratum erit, data occasione paucis referre qvorundam *Anatomicorum ac Medicorum* sententiam, qva asserunt: In Eva formaliter, actu ac seminaliter stamina omnium fuisse hominum, ne unico qvidem excepto. (10) Qvod si jam hæc procederet hypothesis, qvæ tamen, me judice, multis adhucdum laborat difficultatibus, *præservationi* ut qvisqvam eorum accederet, non est ut qvis dubitet, si modo observaverit, & stamen Christi jam virtualiter in Eva qvoad corpus suo tempore exstruendum fuisse, illudve præservatum ut sit, necesse esse. Absurdissimè aliàs hic iterum cum Qvackeris procedit *Anthonietta Bourignonia*, revelationum amantissima, Christo nim. duplex corpus affingendo, internum qvod ex Adamo assumpserit & in qvo hominibus apparuerit, atqve externum, qvod in corpore B. Virginis sibi adjunxerit, in qvo natus passus & mortuus, qvo vestitus rediturus qvoq; sit ad judicium, donec tandem post consummationem omnium rerum corpus hocce externum interiturum sit. Dogma ἄγραφον καὶ ἀντίγραφον cum cœteris paribus diu rejectum ac refutatum. (11) Hinc qvoqve Bartholomæus (ab *Arnoldo* (12.) *Bernhardus* prænominatus) *Herxheimer*, Christum aliud atqve aliud ab Adamô corpus habuisse in Bekäntniß Christlichen Glaubens asserendo, ab

10] *Vid. Magnif. Dn. D.* SCHAPER. *Coroll. 5. ann. Disp. de Febre Petechiali Rost.* 1696. *hab.* (11) *Vid. Dn. M. Ouw. Apocal. cit. Cap. V. p.* 213. & 224. *sq. Dn.* Burchard. *l. c. Hist. p.* 17. 18. *Annot. II. p.* 61. *Parall. V. p.* 125. *seqv.* (12) Kirchen- und Ketzer-Historie *Part. II. Libr. XVI. Cap.* XX. §. 26. *seqv.*

ab Autoribus des Alten und Neuen (13) meritò notatus. Transeant hi cum cæteris, meum non erit eos ad limam resecare, sed paucis adhucdum inqvirere de Modo: *Qvomodo Christus in lumbis Adæ esse potuerit & tamen ut cæteri homines omnes non peccaverit?* Eqvidem verum illos dicere, qvi eum in Adamo fuisse alio atqve alio respectu ut cæteri homines, monent, certissimum est, de qvâre, qvantum satis esse potest, ante me egerunt celeberr. Dn. D. MAYERUS (14) B. SCHERZERUS (15) p. m. B. Dd. WALTHERI, (16) Witteberg. aliiqve Theologi, qvibus qvoqve adderem Jac. ARMIN., qvi qvomodo Christus in lumbis Adami existens considerandus sit pro suo arbitrio satis superqve ostendit. (17) Adæqvata tamen causa qvæ Christum ab omni contagionis atqve peccati Originalis parte eximat, penitus inqvirenda. Præ cæteris eandem eruditè tetigit B. Dn. D. Jo. Bened. CARPZOVIUS (18) b. m. eleganter observans, qvod Lex de pomo vetito lata, eos tantùm obligaverit, qvi ut puri homines in lumbis Adami considerandi fuêre, hinc legem illam Christum non obligasse, qvi qvidem in lumbis Adæ fuerit ut filius Adæ, interim non ut purus homo vel ut mera creatura humana, sed ut *futurus* Θεάνθρωπος *& Dominus legis*, ut *creatum habitura subsistentiam suam in persona filij Dei*, qvemqve proinde nec lex de pomo vetito obligaverit, qviqve nec in Adamo contra eam peccaverit, consequenter promeruerit, ut nasceretur sine imagine DEI. Eleganter sanè ac nervosè rem exponit, qvâ omnes præscidit difficultates, qvæ alias veritatem hic premere solebant, qvibus ipsis in tantum *Massæ Præservationi* favet, in qvantum concedit, obligationem legis Christum non attigisse sub consideratione futuri Θεανθρώπου.

(13) *De anno* 1702. *pag.* 260. (14) *In Diss. de Qvæstione: Utrum Christus fuerit in lumbis Adami peccantis Witteberg.* 1686. *habit.* 1700. *recusa.* (15) *Breviar. Enucl.* Hulsem. *Cap.* VII. *Thes.* VIII. *p.* 364. *seqv.* (16) Pater, *Cent. Miscell. num.* 39. *p.* 277. - - 390. Filius, *in Disp. de* Ἀναμαρτησία *Christi. Witteb. hab.* (17) *In Epist. ad* Jo. Uytenbogardum, *Lugduni Batav.* 1603. *exaratâ, qvæ est inter Virorum Eruditorum Epist. Eccl. & Theol. LXVI. p.* 110. *seq.* (18) *Syst. Theol. Part.* II. *Art. XVII. Aphor. IV. §.* I. *p.* 821.

§. IV. Qvæstio subinde hinc non inelegans subnata: *Utrum qvidem necessarium fuerit, ut filius Dei humanam assumeret naturam ex stirpe Adæ?* Et sanè poterat qvidem Deus qvandam creare naturam humanam in suppositо verbi, non necessariò per propagationem; poterat DEUS & certos condere homines in innocentia perseverantes, ut ex tali stirpe prodiret. Ast non videtur fuisse conveniens, ut filius DEI suam naturam aliunde traheret qvam qvidem ex stirpe Adæ. Agnosco enim (α) *divinam justitiam*, dum qvasi is satisfacere debuit, qvi peccavit, & ideo de carne per peccatum corruptâ debuit præservari & ex præservato assumi id per qvod satisfactio esset implenda pro toto humano genere. Hebr. II. 14. 15. 16. Ita Augustinus (19) & Hugo in sentent. *Ideò DEUS homo factus est, ut de suo liberaretur homo.* Basil. Homil. de Annunc. *Conveniens fuisse*, asserit, τὸ συγγενὲς διὰ τὸ συγγενὲς *simile sanari per simile.* Admiror (β) *hominum dignitatem*, dum ex illorum genere victor diaboli nascitur, qvod per diabolum fuerat victum. Rom. V. 11. 12. Egregiè sic Anshelmus (20) *Ne qvis esset inter homines, qvi ab illo primo non esset homine: nec non ut divina potentia ac bonitas magis elucceret, qvod illa ipsa natura, qvæ lapsa & corrupta est per peccatum, ad tantam dignitatem evecta fuerit.* Hinc intueor (γ) *divinam potentiam*, qvæ de natura corrupta ac planè peccatis infectâ præservavit id, qvod ad tantam virtutem & dignitatem esset evehendum. Ebr. X. 5. 1. Corinth. XV. 46. - - 48. Concludo proinde cum D. Augustino: (21) *Poterat DEUS hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ qvi suo peccato obligavit genus humanum: sed melius judicavit de ipso, qvod victum fuerat, genere assumere hominem* (forte accuratius, humanam naturam) *DEUS, per qvem generis humani vinceret inimicum.*

§. V. Ad *animam* verò Christi ab Adamo usqve traductam & ab omni labe præservatam, meas dum dirigo meditationes, non una me offendit difficultas, qvas in anteceſſum removere necessarium duco. Tetra *Judæorum* fabula, גלגול נשמות cujus patrocinium noviter in Belgio *R. Menasse Ben Israel* sub nomine *Jacobi Ben. Amran* in se

(19) *Libr.* III. *de Trinitate Cap.* XVIII. (20) *Libr.* II. *Cur DEUS homo Cap.* VIII. (21) *Libr.* XIII. *de Trinitate Tom.* III. *fol.* 420.

in se suscepit, ordinationem divinam asserens, ut qvælibet anima ternis vicibus corpus ingrediatur humanum, ut vel plenè peccatis purgetur vel inexcusabilis reddatur, (22) monstrosam hoc in negotio de revolutione animæ Christi peperit sententiam, qvâ ex voce אדם per Cabbalisticam processionem, animæ Christi transgressionem determinare conati fuere, ita ut hujus vocis literæ initiales tres designent homines, אדם דוד משיח, per qvos revolutio illa facta, dum nempè anima Adami per סוד גלגול *secretum revolutionis* migraverit in Davidem, Davidis in Messiam, in qvem pura pervenerit, qvi verò propter peccata Judæorum adhuc lateat. (23) *Habessinos* in Æthiopia præter eandem hanc animarum μετεμψύχωσιν (24) credere, qvod animam Adæ ipse Christus acceperit ex S. Mariâ virgine, Autor est *Tzaga Zaabus*, Legatus Habessinorum ad Pontificem & Lusitaniæ Regem, in Confessione sua fidei, qvam *Damianus* à *Goetz*, Nobilis Lusitanus, evulgavit. (25) Cujus tamen confessionem & hac in parte vehementer perstrinxit P. *Balthasar Tellezius*, Lusitaniæ Provincialis, (26) qvin & non-nemini Habessinorum Exuli,

(22) *Apud celeb.* Jo. Henric. Ursinum Vom Zustand der gläubigen Seelen nach dem Tode *Libr.* III. *Cap. IV. p.* 235. *seqv.* (23) *Vid. sentent. Judæorum exposita in Tractat. de Revolutione Animar. R.* Jitzchak *Lorientis P.* I. *c.* 6. *id est, Kabbalæ denudatæ Tom. II. Part.* III. *tract.* 2. *p.* 269. *seqv. item in Adumbratione Kabbalæ Christianæ Cap. X. §. VI. Cap. XI. §.* 1. *conf. celeb. Dn. D.* Loescheri, *Sen. Disp. de Metempsychosi Pythagor. §. XI. B.* Buxtorffii *Lexic. Chald. sub rad.* גלל *p.* 97. & *Dn.* Calvör, *in Fissura Sionis, p.* 17. *Eodem delirii veneno præter* Muhamedanos, *de qvibus Busbeqvius apud* Ursinum *l. c. p.* 235. *ex vetustissimis Hæreticis fascinatos fuisse* Carpocratianos, Gnosticos, Marcionitas & Manichæos ex Epiphanio *Tom. II. Libr. I. hæres.* 27. *Libr. II. hæres.* 66. & *Tom. III. Libr. II. hæres.* 42. Theodoreto *Libr. I. Histor. Eccles. cap. XVII.* & Augustino *Libr. de Hæres. ad qvod vult DEUM hæres.* 46: *constat.* (24) Alex. Rossæus in aller Welt Religionen / *Sect.* XIV. *p. m.* 629. (25) *qvæ extat in Tom.* II. *Hispaniæ illustratæ p.* 1302. (26) *in Historia Æthiopica Libr. IV. Cap.* XIII. *p.* 334. *Coimbræ in Lusitania anno* 1660. *Lusitanicè edit.*

Exuli, *Gregorio* dicto; stomachum movit, ut in eam inveheret, referente celeberr. *Jobo Ludolpho* alias Leuthoff dicto. (27) Tanta sanè & hic veritatis vis est, ut & invitos ad sui amorem & assensum rapiat, nisi hausta è limpidissimis Hebræorum fontibus doctrinam fœdissimis Judæorum superstitionis commentis contaminatam passim animadvertere liceret. Neqve nunc de decantata Metempsychoseos doctrina *Pythagoræ* atqve *Platonis* dicere animus, qvod sciam à multis viris eruditis ante me hoc peractum esse. Etenim non latet me, qvantam & in excusando & Pythagoræ (28) & Platonis (29) dogmate Eruditi operam collocaverint, hæc non propriè sed mysticè interpretando; Verum cum verba Authorum diligenter cum cognatis eorundem placitis confero, & fontem erroris mecum accuratius pensito ac recolo, non possum à me impetrare, ut credam, hæc omnia mythicè ac mysticè non tantùm proposita sed & intellecta fuisse, præsertim cum autores non unius absurdi dogmatis reos fuisse satis constet. Qvemadmodum verò absurditates absurditatibus cumulantur, ita & hujus erroris radix immaturos suos progerminavit cespites. Ex ea namqve hypothesi, nisi omninò fallor, *Origenes*, Seculi III. Scriptor, suum diduxit de Præexistentia animarum ante mundum creatum, dogma, asserendo; Omnes animas à principio fuisse creatas, inter qvas etiam animam Christi creatam retulit. (30) Qvo dogmate post inductum fuisse *Eutychem* suspicari jo dicit *Leo Papa* (31) ut duas in Christo πρὸ τῆ ἑνώσεως naturas statue-

(27) *In Histor. Æthiop. Libr. III. Cap. I.* (28) *Vid.* Theoph. Gaeus *Philos. Gener. Libr.* II. *Cap* III. §. V. *p.* 177 Gerh. Joh. Vossius *de Sect. Philosoph. Cap. VI.* Philippus Mornæus *de Verit. Relig. Chr. Cap.* XIV. Schefferus *de Philosoph. Ital. Cap.* XIV. *p.* 145. *seqv. &c.* (29) *vid. sentent. Platon. exposit. apud* Augustin. Steuchum Eugubinum *de Perenni Philosoph. Libr. IX. Cap. XXIIX. & XXIX. &* Ursinum *l. c. Libr. III. Cap. V. p.* 236. *seqq. excusata, apud B.* Scherzer. *Programm. V. de Transumptione Animar. in Lunam pag.* 47. *seqv.* (30) *conf. Tom. I. in Joh. pag.* 35. *XX. pag.* 307. *Libr. II.* περὶ ἀρχῶν *Cap. VI. &c. plura loca dabit* Petrus Dan. Huetius, *in suis Origenianis, præfix. Comment. Origenis à se Coloniæ* 1685. *editis Libr. II. Qvæst.* III. §. *VII. p.* 51. (31) *Epist. XI. ad Julianam Coënsem.*

tuërẽt, qvasi animam Christi exstitisse, priusqvam carni illigaretur, persvasum habuerit. Cœterum cum deformes buccæ, nihilominus suos inveniant basiatores, sic nec defuerunt modernis temporibus è Recentioribus harum sententiarum patroni ac amatores, qvi cramben hanc superstitionis Judaico-gentilitiæ recoctam orbi Christiano apponere nulli dubitarunt. *Gvilielmus Postellus*, *Barentonius* sive *Dolerienſis* vocatus, qvondam Lingv. Orient. Prof. Parisiensis, seculo anteriori clarus, animam Christi à DEO creatam & cum τῷ λογῳ conjunctam, imò mundi spiritum & totius universi rerumqve omnium *semen* fuisse, asserere ac pertinaciter usqve ad mortem, teste *Simonio*, (32) defendere, non veritus, ex qvâ infelici hypothesi qvadruplicem postmodum Christi nativitatem fingere voluit. (33) R. *Menasse Ben Israel* supra citatus (34) & *Henricus Morus*, Philosophus ac Theologus Cantabrigiensis, (35) ut Cartesii Antagonista acerrimus, ita Platonicorum dogmatum in Theologia restaurator haud impiger, qvi, præterqvam hic asserat: Animam humanam non omnis plane materiæ expertem esse, hinc à corpore separatam, certo qvodam vehiculo aëreo seu æthereo gaudere, qvod exemplo de sagarum per aëra ad nocturnas epulas transvectione firmare nititur: ex eodem tamen principio junctim concludunt: Christi animam Patriachis in V. T. apparuisse; qvod dogma non potuit non explosam de Præexistentia animarum hypothesin supponere. Hos presso pede secuti: *Autor libelli de revolutione animarum* (36) qvem *Franciscum Mercurium van Helmont* esse, è Societate Qvackerorum ob eundem tractatum exturbatum, Eruditis compertum

(32) *Epist. XXI. Selectar. ubi testatur, illum in Confessione suâ paulò ante obitum consignatâ, qvæ ut Avtographum in Bibliotheca Regia Paris. latet, propria manu hunc errorem reliqvisse.* (33) *conf.* Magnit. Dn. D. Ittigii *Dissert. de Gvilielmo Postello Lipsiæ 1704. habita, itemqve Observ. Hallens. Tom.* I. *Observ.* XXI. *Tom.* IV. *Observ.* XII. (34) *de Creat. Probl. XV.* (35) *Libr.* I. *Myster. Pietat. Cap.* VIII. *& in Libr. de immortalitate animæ.* (36) *Probl.* CLVII. *seqv. pag.* 118. *seqv. juxta Exemplar Anglican. Amstelodam.* 1690. *recusum.*

est: nec non *Anonymus quidam* (37) itemque *Christophorus Christophori Sandius*, (38) alias *Cingallus* dictus. Quos binos ultimos egregiè refutarunt B. Jac. THOMASIUS (39) & B. D. BEBELIUS. (40) Quorum proinde omnium sententias ut ex professo examinem nec operæ pretium, nec instituti ratio permittit.

§. VI. De *Anima* verò *Christi*, quid stante nostra hypothesi hic asserendum, in antecessum si demonstrem, non omnem me lusurum operam, confido. Eandem quoque ex Patribus quoad seminalem virtutem sese multiplicandi, quâ hæc spiritui competit, non aliter ac corpus, quoad seminalem virtutem, quâ hæc corpori competit) usque ad Mariam traductam atque ex illius anima assumptam fuisse, non est, ut quis dubitet, dummodo observaverit, quod quando evici, Christum carnem suam traxisse ex Patribus modo præservato, non sane nudum corpus ἄψυχον, sed tota humana natura, cujus quidditatem ostendunt partes totius compositi, anima & corpus, intelligatur necesse sit, nisi quis hic ad particularem cujusvis animæ in unoquoq; individuo creationem accedere velit. *Augustinus* (41) cum in præced. capitibus negasset, animam Christi etiam in lumbis Abrahæ fuisse, post dubitanter quidem, at satis benè concludit: *Breviter itaq; colligam, si potuit & de anima fieri, quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit, ita & de traduce animæ Christi, ut non secum labem prævaricationis attraxerit.* Quodsi ego hic de principio animæ Philosophum agere deberē, *Aristotelis* niterer authoritate, rationibus præ cæteris stipatâ, cujus sententia est, si homo generetur, unà ipsius animam generari & in semine hominis potestate primū inesse animam & postea in actum traduci, siquidem generatio totius est compositi & *naturalissimum, ut quodlibet vivens ex se similem procreet speciem.* (42) Hinc ex

(37) *in Dissert. singulari de Existentiâ Animarum anteqvam in aspectabili hujus vitæ theatro compareant anno* 1672. *edit.* (38) *Tr. de origine animæ. Cosmop.* 1671. (39) *Pecul. Orat. oppos. eorum Errori, qui asserunt Præexistentiam animarum humanarum, quæ est inter Orationes Ejusd. conjunctim editas XX. à pag.* 457. *seq.* (40) *De Præexistentia animarum humanar. adversus Error.* Christ. Sandii *&* Anonymi *Argentor.* 1675. *edit.* (41) *Tom.* III. *Libr.* II. *de Animâ Cap.* III. *conf. Excell. Dn. Prof.* M. Pauli RABEN, *Patroni ac Præceptoris mei à primis studiorum Academicorum annis integerrimi, Curs. Phil. Phys. Sect.* III. *C.* IV. *§.* 3. *&* 4. *p.* 1074. *seq.*

ex professo de origine animæ differens, totam doctrinam concludit, qvod dixerit, qvomodo in fœtu & semine insit anima, & determinaverit, *potestate inesse, non actu*; (43) ut proinde nullâ & hic vel revolutione vel transmigratione opus habeat. Necest, ut illorum accedam opinioni, sta uentium, Animam Christi præexstitisse. Nam (α) unde hoc ex S. codice probatur? E contra (β) Falso nititur principio, ac si omnes animæ in creatione mundi creatæ fuissent, dudum à doctis viris prostrato? Et (γ) Falsâ stabilitur hypothesi, animam non prorsus esse immaterialem, qvippe qvam ex principiis Philosophicis dudum refutatam dedit ipse Philosophus, (44) facillimoqve negotio refutari potest. Et (δ) explosa qvoqve gaudet assumptione: Animam Christi apparuisse Patriarchis V. T. nim. assumpto vehiculo certo aereo. Eqvidem Filium Dei certo sub & in symbolo Patriarchis apparuisse, ostendunt loca; at non ut incarnatum sed adhuc incarnandum, non ut ἐνσαρκον sed ἀσαρκον, non secundum humanam sed divinam naturam, qvis negaret, nisi cum J. *Asgil*, Anglo, qvis asserere velit, Christum jam ante Mariam in Melchisedeco humanam assumpsisse naturam? (45) Qvod si verò ex superabundanti à modo specialiori hic asserere placeret, Animam Christi à DEO puram creatam, corporive infusam fuisse, vel etiam puram ac præservatam præextitisse, qvod tamen jamjam purè nego, non tamen ulla hic vitiosa necti posset seqvela, siqvidem à singulari non valeret consequentia ad universale; qvin faciliori ac probabiliori nostra sententia niteretur demonstratione. Interim justissimus pariter ac sapientissimus Deus, qvi potuit super omnia facere, qvam qvod intelligimus, pro sua omnipotentia ac sapientiâ corpus filio suo ita adaptavit, (46) ut qvemadmodum ex Patribus prognascendum, in eoqve per omnia nobis assimilandum fuerit absqve tamen peccato, ita qvoqve purum ac ab omni peccati contagione id præservatum ser-

(43) *Libr.* II. *de Generat. Anim. Cap.* III. *conf. D.* Jo. Magiri, *Physiolog. Peripat. Libr.* VI. *Cap.* XVIII. §. 39. *seqv.* (44) *Libr.* III. *de Animâ Cap.* IV. *text.* 4. (45) *Vid. tract.* Unsterbligkeit der Menschen auff Erden an Leib und Seele *à Dn. D.* J. C. Pritio *translat. p.* 37. *conf. Autor.* des Alten und Neuen aus dem Schatz Theologischer Wissenschafften. *ann.* 1702. *p.* 27. *seq.* (46) *conf. B. D.* Hulsemann. *Prælect. in F. C. Art.* IV. *Cap.* I. §. 3.

vaverit atqve traduxerit ut esset gratum sacrificium mundi propitiatorium. *conf.* Hebr. X. 5. VII. 16.

§. VII. De cœtero Christum in & ex semine Mariæ Virginis conceptum ac natum esse, non solum testatur Angelus Jesum concipiendum ἐν αὐτῇ, Matth. I. 10. & nasciturum ἐξ αὐτῆς, Luc. I. 35. annuntians, sed & Spiritu divino agitata Elisabetha καρπὸς τῆς κοιλίας αὐτῆς benedictum prædicans, Luc. I. 42. ut meritò concludat Paulus, in tempore pleno Deum misisse filium suum γενόμενον ἐκ γυναικὸς, Galat. IV. 4. Qvi sanè divinæ veritatis radii longe clariores, qvam ut unqvam ab ejusdem oppugnatoribus offuscari aut confictis eorum expositionibus perverti potuerint, licet à primis usqve seculis tam acriter ab adversariis veritatis cœlestis hæreticis impetita atqve oppugnata fuerint. Qvod ipsum eqvidem ex venerandaPatrum antiqvitate nimis excellenter demonstratum ac in specie contra hodiernos Anabaptistas evictum dedit, *Illustris* Patriæ meæ *Præsul*, Vir Summè Reverendus atqve Magnif. Dn. Doct. Fried. DEUTSCH, Mœcenas ac studiorum meorum Promotor submississime deverendus, (46) adeo ut illorum deliramenta, qvi Christo corporis phantasma adscribunt, huc transcribere supersedeam. Nec acqvievere modernis temporibus veritati cœlesti famosissimi in *Fœdenato Belgio* Fanatici, evomendo: Christum qvidem esse è Semine Abrahami & Patrum secundum carnem, non tamen acsi habuisset cum eis communicationem substantiæ, sed qvod sit secundū promissionem cœleste & spirituale aliqvod semen, qvod olim Patres per fidem susceperint; ut habet *Protocollum Embdanum*, *Hartwig Lohmann & Nicolaus Tetinge*, vel qvi hoc prolixè exponere studet, *Paulus Felgenhauer*, in variis scriptis, (48) Qvibus de novo accessit Chiliasta in Germania notissimus *Christianus Hohburg.* (49) Ast facessant hæ nugarum qvisqviliæ! Etenim falsum, qvod Christi humana natura ex divina essentia sit generata, ut cum his qvoqve sensit *Bartholom. Herxheimer* im Bekäntnüß Christlichen

47] *In erudit. Dissert. de vera carnis Christi ex Maria & Patribus origine, Regiom. Prussor.* 1702. *habit.* (48) *in Epist. de Carne Christi. it. speculo Sapientiæ & veritatis, Apolog. Christ. Cap.* VI. VIII. IX. *itemqve in Aurora Sapientiæ Epist.* III. (49) Im Geheimnüß der Menschwerdung *pag.* 23. & 35.

lichen Glaubens etc. MSSto. (50) Falsum, qvod Christus ante Nativitatem ex Maria jam in nomine Melchisedeci humanam assumpserit naturam, prout asseruit, *Jo. Asgil.* celeberr. Angliæ Par. (51) Falsum, qvod Christus non in utero virginis formatus, sed circa cor ex tribus sangvinis guttulis conceptus fuerit, qvod *Ptolomæus Lucensis*, ordinis Canonicorum vel Regularium S. Augustini circa annum 1507. defendit. (52) Remanet divina veritas, Christum vi benedictionis secundæ Semini Evæ factæ, ex vero Patrum & Mariæ semine superveniente Spiritu S. genitum ac prognatum esse.

§. VIII. De *Conceptione Activa & Passiva*, de qvâ inter Scholasticos magna olim exstitit controversia, ut hic aliqvid afferam, nil vacat. Eqvidem videri alicui posset primore intuitu, acsi stante hypothesi *de Massa Christi præservatâ*, necessariò sola conceptio passiva in Maria locum obtinere posset, siqvidem si materia illa jam in Patribus præservata exstiterit, eademqve pura ad Mariam usqve traducta fuerit, Maria in conceptione illa non activè sed passivè purè sese exhibuerit necesse videatur, qvo ipso tamen veteribus hæreticis nil nisi cavillandi campus vastus aperiretur, cum & proinde, qvod observatu dignissimum, B. Patres non alio ex capite Spiritui S. generationem adscripserint, qvam qvidem ex eo ipso, prouti indicio est *Chrysologus*, qvem ideo citat *Pearsonius*. (53) Nil ergo necesse est, ut ad id delabar, siqvidem & stante *Præservatione*, nihilominus Maria id addiderit in actionibus maternis præstandis, qvod aliæ matres respectu prolis suæ. Qvod reliqvum subscribo omninò sententiæ Doctoris Angliæ celeberrimi, *Joh. Pearsonij*, Episcopi Cestriensis, qvi (54) ita fatur: *Verum qvid includatur in hac conceptione per Spiritum S. vel qvomodo operatio ejus distinguenda sit à conceptione virginis, dictu non adeo facile. Verba, qvibus ea in Scripturis exprimitur, valdè sunt gene-*

(50) *Vid. Autores* des Alten und Neuen *&c.* 1702. *p.* 260. (51) *Loc. supr. cit. p.* 57. *Dogma aliàs ex orco resuscitatum veterum* Melchisedecianorum, *de qvibus* Dion. Petavius, *Tom.* III. *Theol. Dogm. Libr.* I. *de Opificio sex dierum Cap.* IV. §. III. *seqv. pag. m.* 129. (52) *Conf. B.* Scherzeri *Syst. Theol. Loc. de Christo pag.* 178. (53) *in Expos. Symb. Apost. Art.* III. *p. m.* 296. (54) *loc. jam cit. pag.* 294. *seqv.*

neralia: Primum ut traduntur *per modum promissionis, prædictionis & responsionis ad Mariam Luc.* I. 35. Spiritus S. superveniet tibi & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Deinde prout supponunt conceptionem jam factam.* Cum mater ejus Maria jam desponsata esset Josepho, antequam convenirent, inventa est in utero habens ex Spiritu S. *Item ut responsionem continent Josepho datam:* Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est. *Cum itaq; phrases hæ adeo sint generales, ut inde Spiritus præcisè distingui nequeat â concursu B. Virginis, multo minus id exactè inferre poterimus ex recentiori illa distinctione hoc in articulo:* Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine: *Cum aũ certum sit, virginem quoq; eum concepisse secundum Prophetiam illam:* Concipies ac paries filium; *ac propterea non obstante ea distinctione, difficultas nihilominus remanet, quomodo conceptus sit ex Spiritu, quomodo ex virgine. Neq; verò etiam differentia præpositionum harum:* Conceptus DE Spiritu S. natus EX Maria virgine: *sufficit ad distinguendas has operationes. Nulla igitur alia ratio supereſt, qua definiri vel determinari queat actio Spiritus S. nisi per concursum virginis, qui simul agnoscendus est. Etenim si ipsa verè fuit mater Christi, ut certè fuit, nulla ratio est, cur ipsi id negemus, quod aliis matribus tribuitur respectu prolis suæ, ac per consequens nihil restat, quod Spiritui tribui debeat, quam quod necessarium est, ut causet virginem efficere actiones matris.* H. J. Quod ipsum evitandi causa egregiè quoque alius *Autor Anonymus*, Anglus, (55.) in emphasi verborum ἐκ Μαρίας observare voluit, utpote quâ removeatur hæreticorum eorum interpretatio, qui affirmabant, Christũ natum esse διὰ Μαρίας, eamque instrumentum tantum esse volebant, quo usus sit ad corpus suum cœleste mundo huic inferiori exhibendum. Linquitur indubitatum, Conceptionem Jesu Christi à parte B. virginis Mariæ *& activam & passivam* certo respectu omninò fuisse.

§. IX. Ex his verò solidè demonstratis suâ luce claret, quam periculosè ac scandalosè illi olim senserint, qui asserere nulli dubitarunt, Christum nec ab ullo *Patrum neq; ab Eva humanitatem Juam petijsse, verum à Maria* tantùm. Dum contrà apertam Spiritus S. pronunciationem id limitare ac restringere voluêre, quod tamen nullam admit-

(55) *In Historiâ Symb. Apost. pag. m.* 112.

admittit restrictionem sed diserte universalitatem exprimit. Hac enim stante hypothesi, nec (1.) Prot-Evangelium de semine Mulieris attingeret Evam sed Mariam, qvod *Papæum*. Nec (2) Christus fuisset in lumbis Patrum, qvod *Fanaticum*. Nec (3) Christus dici posset filius Davidis naturalis sed tantum legalis, qvod *Socinianum*. Rectius proinde illi sensêre, qvi Christum juxta humanam naturam ex Patribus non tam seminali & naturali propagatione vi benedictionis illius Genes. I. 28. qvàm etiam fœderali promissione Genes. III. 15. facta descendere, ex naturali nempe qvoad humanam naturam in se, ex fœderali, qvoad immunitatem ab omni peccati labe, adversus hos & reliqvos solidè demonstraverint. (56.) Lubentissimè interim ac piè Theologi Orthodoxi abstinent ab illâ loqvendi formula, qvâ vel imprimis utuntur Theologi Galli: *Adamum peccatorem fuisse patrem Christi:* (57) vel abutuntur Calviniani: *Christum fuisse in Adamo cum peccaret*, vel, *fuisse Massæ corruptæ Adamiticæ particulam*, prouti Nationales in Synodo Dordracenâ fecerunt, inter alia ita procedentes: (58) *Qvodsi Remonstrantes hisce rationibus cedere & à suo resistibilitatis dogmate recedere noluerint, arctius aliis exemplis constringi possunt: Cumprimis exemplo Christi hominis. Fuit enim is nobis qvoad ortum æqvalis Hebr.* II. 17. *Fuit massæ corruptæ Adamicæ particula, qvippe semen mulieris Gen.* III. *semen Abrahæ. Gen.* XXII. 18. *Nihil in ipso Deus potuit prævidere, nisi qvod per meram suam gratiam in vas illud effundere pro beneplacito suo voluit. Non minus tamen decreto æterno istam partem à reliqva perditæ massa discrevit, inde à prima conceptione sanctificavit.* Qvorum assertio ob id merito à Dn. D. Præside meo (59) impietatis castigatur cum B. *Hülsemanno.* (60) Nec enim Adamus vel integer vel lapsus propriè pater Christi naturalis

(56) *Vid. Dn.* Præsidis *Prælection. ad Sylloges Diss. XXII. §. IV. & Maximè Rever. Dn.* D. Grapii *Compend. Theol. Cap. XIII. §.* 7. 8. *itemqve B.* D. Jo. Ad. Osiandr. *Colleg. Theol. Systems. Part.* IV. *Loc.* IX. *à. pag.* 37. (57) *Conf.* D. J. A. Osiandri *Syst. Theol. Exerc. LVII. Thes.* XIV. *n.* 2. (58) *In Act. Synod. Dordrecht. National. & qvidem in judicio Theolog. Provinc. p. m.* 301. (59) *in Sylloge Select. Controv. Diss.* XXII. *Thes.* IX. (60) *Prælect. in F. C. Art. V. Sect. III. Oper Posth. fol.* 361. *seqv.*

ralis dici potest, cum Christus nec patrem in humanis habuerit, nec naturali prorsus generandi lege sit editus, qvamqvam interea non negetur, Adamum fuisse patrem Christi, qva ex ipsius semine descendit. Nec etiam in Adamo cum peccaret fuit, cum illi dicantur in Adamo fuisse peccante, qvi ex illo necessario nati sunt, Christus verò ex occasione peccati solùm natus, non nasciturus, si Adam non peccasset, qvemadmodum nervosè ac concinnè disserit æternæ memoriæ Theologus B. D. DANHAUERUS. (61.)

§. X. *Punctum* atqve *Momentum Præservationis* hujus determinare fixumqve illud ponere, meum non erit. Disputant alias Scholastici; *Utrum Substantia incarnationis fuerit decreta ante vel post prævisum peccatum? Thomistæ* post; *Scotistæ* ante peccatum prævisum decretam statuunt, qvorum argumenta apud *Mendozam* (62) soluta lege. Medium hic invenisse putat *Joh. de Raada*, qvando asserit: *Prius fuisse prædestinatam incarnationem Christi* (qvam permissionem peccati) *non autem fuisse exeqvendam sine permissione peccati.* (63) Ast prouti semper vani istius cerebri delicias spinosarumqve qvæstionum labyrinthos ex merito repudio; ita & jam jam profani hujus acuminis commenta nullo solido fundamento nixa sincere detestor. Obduxit enim & hic virtus Altissimi umbram τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου mysterio, ne in punctum ejus curiosius ratione nostra stultâ inqviramus, sed eo differamus, usqve dum ad fulgentissimam vitæ æternæ lucem perveniamus, ubi non per umbratile speculum in ænigmate, sed detecta facie illud cognoscemus. 1. Corinth. XIII. 12. De cætero certum ac indubitatum remanet (1.) *Decretum mittendi Redemptorem qvoad signum rationis divinæ necessariò jam præsupposuisse massam perditionis, totumqve primi hominis lapsum.* Qvanqvam enim DEUS uno simplicissimo actu omnia simul intelligat, ordinet ac decernat, nihilominus ad nostrum concipiendi modum in ipso intellectu divino distingvenda sunt diversa rationis divinæ momenta, qvæ qvidem non diversificantur ex parte actûs, intellectûs aut voluntatis DEI, sed ex

(61) *In Hodosoph. Phænom.* VIII. *p. m.* 614. (62) *Disput. de Deo-Homine* XIII. *Sect. IV.* §. LIV. *seqv.* (63) *Tom.* III. *Controvers.* V. *Conclus.* IV. *fol.* 164.

ex parte subjecti, secundum qvod unum objectum habet ab altero dependentiam. Eodem modo & hic decreti τῆς ἐνσαρκώσεως τὸ λόγου certa habenda ratio, nisi enim homo peccasset, nec Christus in carnem venisset, adeoqve nec decretum de illo mittendo latum fuisset; conf. Gal. IV. 5. I. Timoth. I. 15. Matth. XIIX. 11. Luc. XIX. 10. I. Johann. III. 5. 1. Corinth. XV. 3. Hebr. II. 16. 17. Joh. X. 10. Rom. V. 15. Joh. I. 29. Proinde, qvemadmodum supra observavi, Christum non necessariò fuisse in lumbis Adami; ita & hinc facile colligere licet, Incarnationis necessitatem hypotheticam minimè verò absolutam fuisse, neqve ex positiva DEI voluntate, neqve ex hypothesi etiam assumpta. Ut enim DEUS non fuit obligatus dæmones liberare, ita nec homines redimere. Consequenter decretum mittendi redemptorem præsupposuisse massam totaliter perditam ex dictis necesse est. Egregiè hinc Augustinus: (64) *Tolle morbos tolle vulnera & nulla est medicinæ causa.* (II) *Decretum mittendi Redemptorem qvoad signum rationis divinæ necessario antecessisse decretum prædestinationis, qvippe qvod non factum ad Christum sed propter Christum.* Ephes. I. 4. ubi particulam ἐν *IN* non solum subjectum sed causam propter qvam notare, partim ex Ebraismo, qvem *Sohnius* & *Piscator* agnoscunt, partim ex parallelismo locorum S. Scripturæ ostendit celebratiss. SCHERZERUS, (65) hinc incarnationem neqve effectum adæqvatum nec propriè executivum ipsius prædestinationis dici posse, prouti id fecêre Calviniani in Collat. Hagiens. & Act. Synod. Dordrac. ad Art. II. cum qvibus

(64) *Tom. X. Serm. IX. de verb. Apost. in princ. ejusd. Veritatem hancce ex* Pontificiis *propugnarunt* Thomas Aquinas, *Part. III. Qv. I. Art* 3. Bonaventura *Comment. in III. Sentent. Dist. I. art. 2. q.* 1. Mendoza *loc. supr. cit. itemqve* Dion. Petavius *Tom. IV. Dogm. Theolog. Libr. II. de Incarnat. Cap. ult. Ex parte* Lutheranorum *eandem evicerunt*, B. Jo. Gerhardus *in Confess. Cathol. Libr. II. Part. I. Art. II. Cap. V. p. m.* 494. *seqv.* B. *Dn. D.* Dorschæus *in Thoma Confessore Thes. X. p. 56. seqv. it. in Detectione malæ fidei Papalis p.* 192. *seqv.* B. Tarnovius, Scherzerus, Qvenstedius & *alii.* (65) *Breviar.* Hülsemann. *Enucl. Cap XV. Thes. VII. D. p.* 1006.

faciunt pleriqve modernorum Pontificiorum. (66) Præsupponebat qvippe hæc non solum peccatum sed ejus etiam ordinatum remedium, nim. Christum in carne mittendum sive decretum incarnationis. Ephes. I. 4. 5. 6. II. Thess. II. 13. 14. Joh. III. 16. Ex his jam abunde patet, partim qvam difficile sit *Punctum* præcisè tale determinare, ne vel in excessu cum *Scotistis* ante præviſum peccatum ponatur, vel in defectu cum *Calvinianis* modernisqve Pontificiis post decretum prædestinationis differatur; partim qvam impossibile, certis sub hypothesibus cum divina consideranda sit Oeconomia, absoluti aliqvid determinare. *Petrus Molinæus* (67) Ecclesiæ Parisiensis Pastor, *Materiam in Adamo illapsu Spiritus S. à communi contagione vindicatam ac sanctificatam* fuisse, olim determinare non veritus est, contra qvem dum disputavit *Jo. Arnold. Corvinus*, (68) Arminianus, variaqve à sententiâ nostrâ aliena admiscuit, qvid qvantumqve evicerit, Lectoris judicio relinqvo. Ego hic malo insipientiam meam fateri, qvam immaturum subtilitatis Scholasticæ specimen exhibere, cujus ut manes qvasi infestem nemo abs me expectet. Sufficiat pro ingenii mei modulo rem demonstrasse, punctum modumqve licet illius plane ignorem, utpote à qvorum ignoratione ad totius rei negationem N. V. C.

§. XI. Observo itaqve in anteceſsum remotivè, *Massam* ex qva Christus Salvator noster mellitissimus natus, neqvaqvam à peccato fuisse *purificatam* sed omnino *præservatam*, siqvidem talis purificationis *conceptus in Scripturâ non fundatus, ejus nullibi in S. Scriptura mentio facta, nec ex ea ullo modo elici possit.* Nil qvicqvam certè pro illa adstruenda valet locus Luc. I. 35. dum nullo solido argumenti genere evinci poterit, Ἐπέλευσιν Spiritus S. hanc ipsam inclusisse feminis purificationem, nisi qvod ejus tantum extraordinariam operationem operatiqve singularem fœcundationem notasse, animadvertere liceat, ut adeo Angelus, J. C. pronubus, per suam annunciationem nihil aliud qvam hoc indigitasse videatur: *Spiritum S. Mariam semper virginem ad concipiendum mundi Salvatorem fœcundam reddere*

(66) Ita Didac. Alvarez, *de Auxil. Disp. XXXIX.* & Joh. de Raada *loc. supr. cit. fol.* 154. (67) In *Anatom. Arminianism. Cap.* VII. *p. m.* 41. (68) In *Censurâ Anatom. Armin. ad §.* VI. *Cap.* VII. *de Peccato Originali p.* 1106.

reddere, h. e. materiam adæqvatam, semen prolificum usqve dum singulari providentia præservatum ex castis ejus visceribus elicere, purum illud ac sanctum in locum generationi destinatum sine libidine deferre, & ultra nativam vim ita elevare eiqve virtutem præbere, qvâ θεάνθρωπον hunc concipere, illumqve illæsa virginitate iterum edere possit. Genuinam ac emphaticam hanc esse vocis ἐπιλεύσεως significationem, non diffitentibus ipsis contradicentibus, qvovis tempore doctæ antiqvitatis veneranda canities piè credidit ac solidè ostendit. Nec qvicqvam aliud, si dicendum qvod res est, celeberrimi Theologi ac Philologi per illam agnoscere potuêre. Sufficiat pro instituti modulo verba magni nominis Theologi B. nostri CHEMNITII adduxisse, qvi (69) ita scribit: *Usurpatur verbum* ἐπιλεύσειν, *qvando Spiritus S. non generali actione (sicut vocatur ut in conceptione & formatione omnium hominum, Job. X. 8. Psalm. CXXXIX. 5. sed actione extraordinaria & operatione cœlesti non secundum communem naturæ cursum, aliqvid operatur. &c.* Cum qvibus egregiè consentiunt verba *Summè venerab. Dn. Præsidis* mei (70) *Luc. I. 35. simplicius, me judice, est, per* virtutem Altissimi *vim divinam supernaturalem, qvæ Mariam non tanqvam ignis consumeret sed tanqvam umbraculum ab æstu defenderet & adeò* fœcundaret, *intelligi, qvam ipsum Filium DEI in utero Mariæ tanqvam sub Chuppa obumbratum.* Ita qvoqve ê Calvinianorum Classe *Franciscus Gomarus*, (71) Theologus Lugduno-Batavus, itidem δύναμιν ὑψίστου non de Filio DEI, neqve de Spiritu S. *sed de attributo illius proprio, nempè de omnipotentia* exponit atqve hinc singularem defensionem ac præservationem deducit. Talia veritatis Exegeticæ testimonia vel integris plaustris afferre possem, nisi in re adeò clara illa è charta in papyrum transcribere, planè supervacaneum ducerem. Ex hac operatione verò Spiritus S. extraordinariâ jam ad purificationem massæ Mariæ concludere velle, tanta pro ea, qvanta pro hac de *Præservatione massæ Christi*, necesse foret sequela.

(69) *Harm. Evangel. Cap. IV. Libri. I. pag. m. 122.* (70) *In Corollar. I. annex Dissert. qvæ Historiam Caini & Abelis exhibet illustratam Rostoch. 1704. hab.* (71) *Illustrat. Select. Evang. Lucæ Locor. fol. 165.*

§. XII. Qvodsi verò illi, qvi verba hæc posteriora *& virtus Altissimi &c.* priorum esse Exegetica cum multis Patribus opinentur, per *Virtutem Altissimi* qvoqve *Spiritum S.* intelligere malunt, (72) qvorum tamen sententiæ, salva eorundem authoritate, hac vice non assentior, refugium suum in voce ἐπισκιάζειν qværant, prius verbum utpote generalius, operationem Spiritus S. supervenientis in genere notare; posterius verò specialius, operationis illius modum aliqvatenus exprimere existimantes, nec exinde aliqvid habent, qvod contra datam ἐπελεύσεως rationem evincere possent. Iterum pro me causam agat celeb. CHEMNITIUS l. c. ita disserens: *Syrus habet verbum, qvod simpliciter significat protegere. Sed major est emphasis verbi* ἐπισκιάζειν. *Usurpatur enim de peculiari ratione præsentiæ, operationis & DEFENSIONIS DIVINÆ.* Addo Philologum pariter ac Theologum sui ævi incomparabilem B. GLASSIUM, (73) qvi ita scribit: *Emphaseos insignis verbum obumbrare (q. d. umbram præstare) est, cum de mirando conceptionis Christi in Maria mysterio usurpatur, Luc. I. 35. - - - - Ea verò operatio tum* ἐπελεύσεως, *tum* ἐπισκιάσεως *verbo per anthropopathian exprimitur. Prius generalius est, operationem Spiritus S. supervenientis notans. (Ut supra dictum) Posterius specialius, operationis illius modum aliqvatenus exprimens, qvi consistit, tum in divina protectione, qvam umbræ significationem Metaphoricam esse paulo ante dictum est. - - Tum in arcana fœtus illius sanctissimi in virginali utero Mariæ formatione & AB OMNI PECCATI LABE DEFENSIONE, & cum personæ τῦ λόγυ unitione mirandissima.* Ad qvæ testimonia data occasione annoto: defendere ac præservare h. l. esse planè synonyma, ὅπερ ἐκεινό τι, indigitantia; conf. Hiob. X. 12. XXXIII. 17. Psalm. LXXXVI.

(72) *Vid. B. Dn.* Hulsemann. *Prælect. Form. Conc. Art. IV. Cap.* III. §. 4. *B. D.* Glass. *Phil. S. Libr. V. tract.* I. *Cap.* VIII. *p. m.* 1181. *conf. B.* Joh. Ad. Osiandr. *Colleg. Theol. Systema* Part. IV. *Loc.* IX. *Thes.* 19. *p.* 5. *seqv. B.* Calovii *Bibl. Illustr. Tom. III. p.* 529. B. Prukneri *Vindic. N. T. p.* 375. *Matth.* Poli *Synops. Biblior. Critic. ad Luc. I.* 35. *Volum. IV. pag.* 816. (73) *Loc. cit. in fin. Cap. pag.* 1181.

LXXXVI. 2. XCVII. 10. Joh. XVII. 15. II. Thessal. III. 3. II. Petr. III. 7. nec enim τὸ defendere in concipiendo involvere rei purificationem, qvin potius puri præservationem sua ratione constat. Ex his remotivè demonstratis abunde constare puto, qvam lubricum, sit verbo venia! eorum hactenus fuerit argumentum, qvi pro solâ adstruenda Massæ Mariæ purificatione, vel ad citatum locum provocaverint Evangelistæ Lucæ, vel ex eo purificationis modum adstruere voluerint. Conjungit cum hac ratione *Autor mens. Reserv. loc. cit. Silentium Librorum Symbolicorum*, qvo procul dubio id intendere voluit, qvod si illa sententia in S. Scriptura adeo clarè fundata tuisset, prouti per communem opinionem hodienum passim recepta, à piis confessoribus in articulo de Christo neqvaqvam prætermissa tuisset, prouti quidem apud illos altum reperitur hac de re silentium. Qvamobrem & ego, tacente Scriptura, tacentibus Libris Symb. de modo purificationis, qvam probabilissimè ex seqventibus rationibus concludere possem, eandem S. Scripturam qvoqve *Præservationi* tacitè consentire.

§. XIII. Jam *Massæ* illius *Præservationem* necessariò asserendam esse, svadet omnimoda carnis J. C. sanctitas ac ab omni peccati labe immunis ac incontaminata servata puritas. Reqvirebat nim. hanc utrinqve *tum nostra*, cujus gratia verbum caro factum est, redemptio, *tum Mediatoris* & Redemptoris nostri, cujus vices Christus in se recipere debebat, *conditio*. Venire in hunc mundum debebat, ut populum suum salvaret â peccatis suis, unde & Jesu nomen acceperat. Matth. I. 21. Qvodsi verò à peccatis suis alios liberare debuit, à peccatis omninò purum ipsum esse oportuit, alioqvin ipse Salvator alio opus habuisset, qvi ipsum prius à peccatis liberasset, qvod esset ἄτοπον. A peccatis jam purus & illibatus vel è consvetudine conjugali, vel naturali è semine nullâ re interpositâ, ob annexam eisdem vitiosam peccati Adamitici labem, cujus ergo omnes immundi ex immundo concipiuntur & nascuntur semine, Ps. LI. 7. immundum semen, Job. XV. 4. ab utero corrupti, Ps. LVIII. 14. & caro de carne nati sunt. Joh III. 6. concipi & nasci non potuisset. E massa igitur tali ut conciperetur necesse erat, qvæ *origine* sancta, pura, incontaminata ac ab omni infectionis labe defensa & *præservata* fuisset; utpote ex qva demum semen mulieris, in qvo universo generi

humano ſalus rẽcuperanda, ſine labe progerminari poſſet. Comprobant id omninò divina divinæ ſapientiæ oracula. Talis qvippe decebat ut eſſet nobis Pontifex, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ ἁμαρτωλῶν. Hebr. VII. 26. Prædicata num tavtologicè vel otioſè à Spiritu S. eidem appoſita? Abſit! qvot verba, tot pondera! Elegantem loci hujus tanqvam propriæ ἀναμαρτησίας Chriſti ſedis expoſitionem ad ritus Summi Pontificis V. T. accommodatam dabit D. Jo. *Braunius*, Theologus Grœningenſis (74) ob controverſiam circa Locum de Chriſto aliàs celebris. Emphaticam verborum dilucidationem ſuppeditabit D. *Sch. Schmidius*, (75) Solidam ex his pro innocentia J. C. petitam demonſtrationem, elicit par incomparabile Theologorum, ut de tota Eccleſia J. C. ita & de ſtudiis meis qvalibuscunqve meritiſſimorum, Magnifici Dn. Dd. QVISTORPIUS (76) atq; WEGNERUS. (77) Qvibus addi poteſt celeberr. BROCHMANN. (78) Nolo hic plura cumulare S. literarum teſtimonia, qvæ idem evincant, ſufficiat vel ex unico hoc loco pro ſcopo meo annotaſſe: Verba in ſua proprii ſignificati latitudine eousqve accipienda eſſe, qvousqve id S. Scriptura permittat, & fidei Analogiæ non obſtet. Prædicatorum proinde & horum ratio eousqve extendatur oporteat, qvousqve poſſit; *nam omne juſtum rectum &c. & rationem rei aliqvid poſitivum infert*, inqvit egregiè Havnienſis Academiæ illuſtre hodie decus Dn. D. *Bottſaccus*. (79) Chriſtus proinde & ſanctus fuit in Patribus ſecundum carnem, & ab omni peccati infectione in illis alienus, imò & ab illis ſegregatus ratione contagionis. Qvid hic abſurdum? aut inhæſiva Chriſti ἀναμαρτησία, aut verus ejus è ſubſtantia Patrum ortus? Neutrum! firma proinde & meæ hinc elucelcit aſſertionis veritas. At DICES I. Maſſam illam, ex qva Chriſtus

(74) *In Comment. ad h. l. pag. m. 410. ſeqv. & in Select. Sacr. Libr. V. Cap. IV. de Sanctitate ſummi Pontificis.* (75) *Comment. ad h. l.* (76) *In Diſp. Inaugur. de ſanctiſſima & omni tempore ſufficientiſſima Chriſti Satisfactione ſub Præſid. B. D.* Balthaſar. *Gryphisw, anno 1682. habit.* (77) *Diſſert Inaug. loc. cit. Aphor. III. §. IX. pag. 33.* (78) *Comment. ad h. l. p. m. 289.* (79) *Meditat. Theol. Moral. Theſ. XII. p. 81.*

tus nasci debuerit, ab alia in conceptionis momento à Spir. S. segregatam, purificatam & sanctificatam fuisse, qvo præsupposito præsupponendo ἀναμαρτησία Christi inhæsiva adhuc firmo nitatur talo? Itane! *Nonne simul necesse habes concedere, hoc ipsum corpus Christi ratione massæ suæ olim locum habuisse in peccatoribus*, sunt verba in responsione magni Theologi. Habent tum & qvod olim exceperit & hodienum regerat impia *Fanaticorum* caterva. Loqvatur jam *Democritus* vel potius *Lucianus*: (80) **Ob schon**/ inqvit ille, **die Geburt und Empfängnüß Christi aus der H. Jungfrau nicht in Sünde geschahe**/ **wie unsere Geburt**/ (modo scil. purificato) **so war doch der Vorhang seines Fleisches in der äussern Natur von eben der Massa und eben dem Fleisch und Blut**/**welches noch unter dem Fall und Fluch lage** &c. Satis appareret, qvi dulce venenum sub his aliisqve fucatæ eloqventiæ delitescat foliis, judicatu facile, qvid intendat, nim. licet ex purificato & sanctificato Jesus Christus conceptus fuerit semine, ortum tamen ejus in Patribus fuisse peccaminosum. Et sanè res non minoris est æstimationis. Qvemadmodum enim aurum sublimatum & purificatum ab omni labe qvod conspicimus, ratione sui principii tamen impurum contaminatumqve chaos fuit: Ita nil juvabit disceptaturo contra pessimos hujus furfuris homunciones pro adstruenda J.C. immunitate ad purificationem talem recurrere, remanet tamen originalis impuritas & impura originalitas. DICES II. Materiam illam tum nondum in Patribus ad id destinatam fuisse, sed demum in Maria? Regero: Qvodsi hoc, nec Christus fuit in lumbis Patrum, nec descendit ex Patribus secundum carnem, nec ex semine Patrum natus, qvod tamen asserere ἄνομον καὶ ἄπορον.

§. XIV. Accedit rationibus argumentum verè Achilleum, qvod tot tantosve viros qvoqve ad hanc redegit mentem, *ab absurdo*, qvod ex modo purificationis resultat, petitum. Seqveretur enim certò, vel Christum prose ipso satisfeciste, qvo massa illa purificata esset, juxta Hebr. IX. 22. qvod tamen ἄτοπον γραφῆς asseretur, ultra qvam sapere nefas esto, qvodqve repugnaret summo Pontifici, Hebr. VII. 27. eapropter jam olim in Synodo Ephesina inter Anathematismos hæresi Nestorianæ oppositos publicè damna-

(80) Wegweiser zum verlohrnen Licht und Recht &c. pag. 201.

mnatum. (81) *Qvi dicit, qvod pro se obtulisset semetipsum oblationem & non potius pro nobis solis, non enim eguit oblatione, qvi peccatum omnino nescivit, anathema sit.* Aut si non ipse pro se satisfecisset, sequeretur, DEUM aliqvid citra satisfactionem ex sola gratia remisisse, ex qvô appareret ulterius, DEUM modo ordinario genus humanum reparare potuisse, non intervenientе Christi satisfactione, ex sola gratiâ; qvod enim semel fecit, id ipsius essentiæ non repugnasset. Ast repugnabat hoc utique *divinæ veritati*, eiqve immutabili, qvæ postulabat, ut peccata vindicarentur & satisfactio pro peccatis exigeretur. Ps. XLIX. 8. 9. Rom. III. 25. Repugnabat *divinæ justitiæ*, cui non conveniebat, aliqvid condonare sine ulla satisfactione ac compensatione, Rom. I. 32. III 5. Ps. VII. 12. Repugnabat *gratiæ divinæ*, qvæ & necessitatem & universalitatem satisfactionis Christi supponebat, nec justificationem citra expiationem per Christum factam admittebat, Rom. III. & IV. Gal. III. & IV. nec qvicqvam peccatorum sine fide in Christum respiciebat Phil. III. 9. Qvid jam consilii? Latet angvis in herbâ. Miror, nec male miror, qvod hoc argumentum non diu assumpserint *Sociniani* vel *Arminiani*, vel qvod illud contra Orthodoxos non strinxerit impius ille *Dippelius*, ad evertendam omnem satisfactionis J. C. necessitatem, efficaciam ac universalitatem, qvam hic illis certè pejor, planè omnem tollere conatur. (82) Eqvidem non latet me, qvantum & in hoc Theologi desudarint; (veteres enim circa hanc materiam sibi non constant. (83) non diffiteor varia & mihi scisciranti à variis responsum fuisse Theologis, qvorum eqvidem doctissimas responsiones piè veneror, de cœtero tamen verbis celebratissimi Theologi concludere non vereor: *Fateor, qvicqvid etiam inveniam apud celeberr. Theologos* (qvicqvid audiverim ab iis) *mihi in ordinaria responsione superesse, qvod scrupulos moveat. Dixero itaqve Principium efformatæ humanæ naturæ Christi ab omni impuritate per divinam*

(81) *Num. X. vid. Tom. I. Concil. Part. 2. cum Notis Binii, fol. 201. sqv.* (82) *Nuperè qvidem in impudentissimo ac plane impio scripto, adversus Generos. Dn. D. de* KRAKEWITZ *sub tit.* Schild der Warheit *&c. edito, à qvô tamen solidam ac justam vindicationem brevi expectabit.* (83) *Vid. B.* Hildebrandi *Theol. Dogmat. Cap. XII. §. V. & VI.*

nam omnipotentiam & omnisapientiam præservatam mansisse &c. Tollit utiqve tum *Præservatio* hanc difficultatem. Nam qvemadmodum purificatum præsupponit impurum, sanctificatum injustum, ita è contra qvod purum, non eget ut purificetur, qvod sanctum, non indiget ut sanctificetur, sicqve nec ulla satisfactione opus, sed agnus ille DEI ab origine mundi ad occidendum destinatus Apoc. XIII. 8. ad debita qvoqve præstanda ab omni peccato semper ut immunis præservatus exstiterit, necesse est.

§. XV. Non minus grave argumentum præmissis subjunGturus, elici id posse confido ex diserta Pauli assertione, qvi *Christum non in carne peccati*, vel quod magis, peccaminosâ, *sed ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, in similitudine carnis peccati* à DEO Patre *in hunc mundum missum fuisse*, testatur. Rom. VIII. 3. in qvæ verba eleganter Tertullianus: (84) *Non qvod similitudinem carnis acceperit, imaginem corporis & non veritatem, sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi, qvod ipsa non peccatrix caro Christi ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere non vitio Adæ; qvando hinc etiam confirmamus, eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix.* Mentem verò conclusionis meæ exprimet *Jodocus Clichtoveus*, qvi ad verba *Damasceni*: (85) *confitemur Dominum nostrum J. C. habere omnia, qvæ Adam primus, solâ exceptâ peccantiâ*: commentaturus, post varia alia notatu digna ita excurrit: *Clamat namque Apostolus, Christum tentatum per omnia pro similitudine absqve tamen peccato. Et alio loco: In similitudinem carnis peccati immissum à DEO filium, contestatur, qvod ejus sacratissima caro ejusdem sit & consimilis naturæ cum carne nostra, qvæ est caro peccati & peccato obnoxia. In Christo autem neqvaqvam fuit caro peccati, sed caro qvæ salutaris est Medicina contra peccatum & oblata ad ipsius peccati destructionem & deletionem.* Allegat eqvidem idem hocce assertum Paulinum impudentissimus *Dippelius* pro comprobanda sua blasphemiâ, Christum in statu exinanitionis adhuc *semine serpentino*, h. e. peccato originali infectum fuisse. Ast comprimat jam os suum & majori pietate religioneqve loqvi discat, Apostolo docente, non in simi-

(84) *Libr. de Carne Christi Cap. XIII. pag. 33.* (85) *Libr. III. de Orthod. Fide Cap. XIII. p. 127.*

litudine carnis, (seqvor *Generos.* Dn. D. de KRAKEWITZ) neqve in carne peccatrice, sed in *similitudine* carnis peccaminosæ Christum missum esse, qvibus Apostolus illis æqve, qvi Christo peccatum adscripturi essent, ut *Democritus*, ac iis, qvi Christo phantasma assignaturi forent, occurrere voluerit. Nec ullum proinde comparationis tertium qvenqvam hic excogitare posse video, qvod inter carnem peccati & similitudinem carnis peccati, veræ tamen, Spiritus S. hic de Christo indigitaverit, nisi hoc, qvod nunqvam in censum carnis peccaminosæ venerit, sed semper immunis præservatus exstiterit: *Missus*, dicit Apostolus, *in similitudine carnis peccati*, talis ergò ut & in Patribus ante missionem exstiterit, necesse erat. Rom. XV. 8.

§. XVI. Et qvid porrò aliud svadebat redemptionis nostræ *mysterium*? Per *unum* hominem peccatum introivisse in mundum, per *unum* & gratiam superabundasse, testatur Apostolus Rom. V. 12. 15. hinc qvum duos istos homines simul comparat, disertè docet: *Sicut* ex illo derivatum sit peccatum & mors, ita ex isto justitiam & vitam derivari. 1. Corinth. XIV. 22. XV. 45. Peccatum, uti vulgo Theologi dividunt, duplex est: *Originale*, qvod â primæva conceptionis origine cuilibet è primorum nostrorum parentum traduce innascitur. Rom. V. 12. omnes enim in iniqvitate concipiuntur. Ps. LI. 7. Unde & omnes naturâ filii iræ. Ephes. II. 3. *Actuale*, est omne vel factum, vel dictum, vel cogitatum, vel concupitum contra legem DEI, qvo malum committitur, & bonum omittitur: de qvo multis Paulus disserit. Rom. VI. 12. seqv. & VII. 18. seqv. Utrumque Christus mundare, utrumqve expiare debebat, ut nil in fidelibus maneret condemnationis, Rom. VIII. 1. Vi itaque oppositorum immunitas ipsius talis quoque ut esset necesse erat, *Originalis*, qvæ dicitur & *habitualis*, quæque & omninò primum respiciat principium primumque è Patribus ortum; & *Actualis*, quâ actu ab omni peccato vel etiam peccantia se immunem demonstraret. Consecutionem hancce non Logicam solùm, sed & Scripturariam esse, innuit Apostolus disertis verbis, Christum vocando τὸ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν II. Cor. V. 21. Ad qvæ verba eleganter Erasm. SCHMIDIUS: ἁμαρτία *hic peccatum significat sive Originale sive Actuale*, à

qvo

qvo utroqve immunis fuit J. C. Nam *peccatum nec fecit.* 1. Petr. II. 22. *nec in eo fuit.* 1. Joh. III. 5. ut adeo ipse solus è medio filiorum hominum gloriari possit: *Qvis ex vobis arguet me de peccato?* Joh. VIII. 46. En veritatis testimonium, Sanctitatis J. C. tutamen! Qvodsi hic conscientia Pharisæorum ipsis non aliud qvid dictitavisset, qvam maslæ, ex qva natus, purificationem, sané habuissent omninò, qvod excipere potuissent; nam cum cœteris & hoc negassent, utpote qvi sciebant illum à peccaminosâ matre genitum fuisse, sicqve magis magisve eundem vitiis proscidissent. Ast à Majoribus suis aliud qvid edocti erant, Messiam semper purum ac absqve omni peccati labe è Patribus nasciturum fore. (86) Et qvanqvam aliàs exterius de Christo aliud profiterentur, dictante tamen conscientia nil habebant, qvod dignè excipere possent. Habent itaqve qvod sibi ex merito gratulentur Christiani de tali Redemptore, qvi secundum id, per qvod mundus mundandus erat, semper immunis *originaliter* & *actualiter*, immaculatus ac ab omni contagione *præservatus* exstitit.

§. XVII Accedit jam his, qvod tempora, in qvæ DEUS nos reservavit, *proh dolor!* tam infelicia Christianæ religioni sint atqve infesta, ut pluribus Christus prædicatus σκάνδαλον καὶ μωρία sit. 1. Corinth. I. 23. Etenim qvæ impudentia hodiernorum Fanaticorum! Qvæ malitia pessimorum Naturalistarum! Sententia proinde, qvæ vel speciem scandali præbere possit, vel qvæ Christianæ religioni periculum qvodcunqve creet, summo mihi studio cavenda videtur. Tales menti meæ cogitationes toties subvenêre, qvoties nefanda vel *Dipelii* vel aliorum Fanaticorum hominum scripta circa personam Christi occupata vel legere vel de iis disserere mihi permissum fuit. Ferias hic eqvidem mihi jam fecit præ cœteris vir generoso stemmate natus, generosiori datus, *Maximè Rev.* Dn. D. de KRACKEWITZ, Fautor ac Præceptor meus pio amoris ac honoris cultu æternum devenerandus (87) Hinc qvoties illud mecum reputo, urgenti qvasi necessitate observo, periculosum esse dicere:

(86) *Conf.* Jos. de Voisin, *Theol. Judaic. Tom. II. Cap. XXXIII. & Observat. in Pugionem Fidei p. m.* 188. *seqv.* (87) *In doctiss. Dissertat. de Semine mulieris ab omni Semine serpentino semper immuni, adversus Christ. Democritum Rostoch.* 1706. *habit.*

Carnem Christi opus habuisse sanctificatione, voce acceptâ pro purgatione à peccatis seu purificatione. Assumpsit enim humanam naturam, ut eam à corruptione purgaret, non autem purgatione indigebat humana natura, nisi ea qvæ infecta erat per originem vitiatam, qva ex Adamo & reliqvis Patribus naturaliter descendebat, qvalis non erat humana Christi natura. Nec sufficit, modum hunc restrinxisse ad Mariam, vtpote qvi rem minimè variat. Inconveniens proinde vel cogitare nedum statuere, Carnem Christi aliqvando opus habuisse, ut sanctificaretur, h. e. ut à peccato purgaretur & ex non sancta fieret sancta, ex impura pura, contra disertam Spiritus S. assertionem, qvæ Christum ab omni similitudine carnis peccaminosæ eximit. Incongrum talia admittere, qvæ sanctissimũ Jesum vitiosum reddere, religioni Christianæ contrariari, vel eandem ludibrio plus Lucianeo exponere possent. Prodeat jam *Fanaticorum* colluvies, & aliqvid contra *Massæ Christi præservationem* excipiat! Ruet sua sponte Ismaelitica de *Semine serpentino* massæ Christi sanctissimæ adhærenti imputata calumnia. Corruet fœda assertio, Christum ex maledicta atqve ex deperditis Elementis corrupta massa natum esse. Obsecro te, num is, qui ab omni labe tam originali qvam actuali semper immunis exstitit, num is sanctificatione opus habet! Eqvidem memini, Christum & alibi dici à *Patre sanctificatum & in mundum missum esse*. Joh. X. 36. Ast qvis non videt alterius verbum h. l. esse significationis, qvam ut Synonymum faciat τῆ purificationis. Utar verbis *Theophylacti* (88) qvi hunc sensum reddit: *Qvem pater sanctificavit, h. e. segregavit, ut occideretur pro mundo. Sanctum enim dicitur, qvod DEO segregatum est.* Fortè clarius *Tossanus* (89) rem exprimit: *Sanctificatus est à DEO, i. e. phrasi Hebraicâ consecratus sive unctus in mediatorem, ut per illum sanctificemur.* Accedit qvod eqvidem hæc sanctificatio magis involvat sancti à DEO Patre in mundum mittendi *præservationem*, dum notanter antecedit missioni, qvam impuri sanctificationem seu purificationem.

§. XVIII Favent sententiæ de *Præservatione Massæ* Christi variæ *Locutiones* S. Scripturæ, qvæ si accuratius pensitantur, vel purificationi contrariæ, vel cum eâ ad minimum consistere neqveunt. Sic

(88) *Comment. ad h. l.* (89) *Prælect. super Evangelist. Joh. ad h. l.*

Sic Luc. I, 35. Angelus modô conceptionis J. C. denunciatô concludit: Διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον vocabitur filius DEI. Egregiè celeberr. olim observavit Theologus B. HOPFNERUS (90) ad hoc dictum; verbum γεννᾶσθαι propriè significare *generari*, *concipi*, γεννώμενον id esse, qvod *generatum* vel *conceptum* fuerit. Cum qvâ translatione PEARSONIUS, (91) Anglus, omnino facit, adducendo præter consensum versionis *Anglicanæ*, & hanc rationem, *qvod ita reddi neqveat, ut vulgò, cum de re ut præteritâ loqvatur Angelus, Christus verò adhuc nascendus esset* MALDONATUS (92) itidem advertit, verbo illo non *ortum* sed *conceptum* denotari; qvô præsuppositô se concedere posse putat, fontes Græcos esse incorruptos, etsi non habeant additam particulam ἐκ σοῦ, adversus *Bellarminum*, qvi ex hac ratione Græcum textum falsitatis accusaverit, dum non attenderit significationem vocis γεννᾶσθαι, non partum sed conceptionem denotantis. Addit B. HOEPFNERUS l. c. huic expositioni nil obstare versionem *Syriacam* vel *Latinam*, qvæ licet utraqve has particulas additas habeat, hac tamen additione eo magis nil nisi conceptionem determinare voluerit. Stante proinde hâc ἀναλύσει ex verbis Angeli liqvido patet, Sanctum Christum concipi, non in conceptione demum sanctificari debere. Qvemadmodum enim totus Θεάνθρωπος in Adamo fuit, ita *totus qvoqve* Θεάνθρωπος *conceptus ac fœtus humanus factus, ut adeo persona* σύνθετος *ex duabus naturis constans sit subjectum conceptionis*: Sunt verba B. CARPZOVII. (93) Absurdum verò foret statuere, totum Θεάνθρωπον per Ἐπίλευσιν Sp. S. sanctificatum fuisse. Hinc nec lego, Angelum dixisse, *qvod nascetur*, vel potius qvod concipietur, *sanctificatum*, qvasi antea fuerit immundum postea purgatum, sed simpliciter affirmasse: *Qvod nascetur sanctum*, indicans, naturâ sanctum fore qvod conciperetur ἅγιον. (94) Observavit alias illam loqvendi diversitatem circa hancce materiam Hier. ZANCHIUS, (95) qvi insuper addit, idem qvoqve S. Scripturam

(90) *Colleg. Bibl. p.* 211. (91) *Expos. Symb. Apostol. Art.* II. *p.* 188. *in Notis.* (92) *Comment. ad h. l.* (93) *In Isagog. ad B. Chemnitii LL. Theolog. p.* 830. (94) *conf. Memor. Trevolcienſ. anni* 1703. *mens. Mart. pag.* 218. (95) *Epist. cit. p. m.* 175.

aliis innuere voluisse de Incarnatione Christi loqvendi formulis v. g. λόγος *caro factus est*, Joh. I, ubi non dicatur caro peccaminosa, vel caro sanctificata, sed simpliciter caro, vel substantiam carnis in genere sine peccato indicans, vel carnem, qvam assumpsit, non fuisse sanctificatam aut sanctificandam sed per se sanctam in specie notans. Eodem modo exponi posse existimat, qvando sæpè Apostolus loqvatur: *Deus manifestatus est in carne*, I. Tim. III. 16. it. *qvi est ex semine David*, vel, *qui est ex Patribus secundum carnem*, Rom. IX. 3. it. *Assumpsit semen Abrahæ*. Hebr. II. 16. qvæ loca satis docere possint, Christum carnis substantiam, non qvalitatem assumpsisse peccaminosam, nec proinde ullâ sanctificatione eguisse.

§. XIX. Hæ sunt rationes, qvæ circa hocce argumentum piæ meditationes suggerere voluêre, eas ut L. B. benevolè excipiat, submisslè expeto. Annectere his possem eam rationem, qvam ZANCHIUS, (96) pro neganda sanctificatione & adstruendâ J. C. immunitate plus qvidem occultare qvam insinuare voluit, qvando putat, qvod Christus *ex sola virgine sine viri semine, sed hujus loco virtute Spiritus S. concipi ac nasci voluerit, ne transiret peccatum cum carne in personam filii. Etsi enim*, infert, *semen virginis non sine peccato erat, cum peccato tamen transire in Christum ullumve hominem non posset, nisi ex virili semine conciperetur*; unde concludit: Prospectum huic rei fuisse ab æterno, & initio mundi promissum esse Christum sine sanctificatione, hinc Deum statuisse, ne propagari posset peccatum nisi per semen viri, Christum concipi ac nasci debere ex fœminâ, qvorsum refert Genes. III. 15. qvibus verbis significetur: *Filium DEI ideo nasciturum sanctum sine peccato, qvia assumturus erat semen duntaxat mulieris sine viri semine, eoqve sine peccato.* Ast qvousqve hæc pro innocentia Christi adstruenda procedat ratio, qvam tamen Autor pluribus urget & verificari allaborat, B. L. relinqvo arbitrio, me eqvidem judice varia complectitur ἀσύστατα. Falso enim præsupponit, (α) peccatum originis tantum propagari per semen viri, imò, qvod majus, alligatam hanc esse propagationem viri semini, non per φύσιν sed per θέσιν, h. e. singularem DEI dispositionem; con-

(96) *loc. citat. add. Libr.* II, *de Incarnat. Cap.* III, *Qv.* 3. § 4.

contra Job. XIV. 4. Joh. III, 6. (97) Falso infert (β) Deum virtute Spiritus S. viri vices suppleviſſe, (98) cum tamen Spiritus S. in Mariâ non σπερματικῶς sed δημιυργικῶς operatus fuerit; vel si non hoc, necessariò (γ) qvosdam homines ex solo semine fœmineo concipi ac produci posse, qvod olim in CARDANO & Georgio VENETO aliisqve obſervavit MERSENNUS. (99) Tutius proinde opinatus sum esse, à tali probabilitatis specie abstinere, qvam ad pejora absurditatum lenocinia maleferiatis campum aperire, sufficiat paucis iis veritati litantibus argumentis rem êxposuisse, qvam multis παραδόξοις rem per se claram obfuscasse.

§. XX. Sic itaqve optata mea cymba potiretur arenâ, nisi audire mihi viderer tacitos nonnullorum susurros, qvi mussitent, falcem meam in talem me immisisse segetem, qvâ forte carere area Theologica potuisset absqve æternæ salutis dispendio, præprimis cum sententia ista, de *Massa Christi præservata*, tot adhuc prematur difficultatibus, qvot suffulta fuerit rationibus. Mitius tamen mihi promittam judicium, si & harum præcipuarum objectionum & exceptionum nervos & poplites incidere, curatius perrexero. Initio qvispiam (I.) qværere posset: *Qvomodo in impuris ac contaminatis corporibus Massa illa præservari ac conservari potuerit?* B. noster CALOVIUS, (100) cum aliis Theologis qvoqve eleganter observavit, *qvi Deus in Patriarchis, Prophetis & aliis viris, præ cæteris singulari gratia & vitæ excellentia instructis, Genealogiam filii sui ducere ac conservare voluerit?* Hi c citatum reperio NICOLAI TETINGE, Fanatici alias sat celebris, librum de *incarnatione verbi*, (101) qvô demonstraverit, *verbum promissum in certa & prædestinata familia cœlesti & arcano modo prodiisse.* Qvo verò animo & qvâ mente id defenderit, me prorsus latet, dum ipsum librum introspicere non licuit, cum

(97) *de qva thesi qvid sentiendum, docet* B. Schertzerus *in Brev. Hulsem Enucl. Cap. V. Thes. XIII. p.* 280. *seq.* (98) *Idem in* Zanchio, Ursino, Piscatore *& aliis observat B. Dn. D. Jo. Ad.* Osiander *Colleg. Theol. Syst. Part. IV. Loc. IX. Thes. XIIX. à pag.* 49. *add. B.* Schertzeri *Colleg. Anti Socin. fol. al.* 372. *al.* 413. (99) *Respons. ad Problemata Veneti, Probl. XXXV. in fin. Comm. sup. Gen.* (100) *Part.* III. *Theol. Posit. Sect. II. de Ecclesio-Metria à pag.* 388. (101) *ap. B. Dn. D. Jo. Ad.* Osiandr. *Part. II. Syst. Theol. Exerc.* LVII.

cum fruſtra eundem hic expetierim. Exinde autem colligerem, non incongruum fore, ſi aſſereretur, qvod & illa maſſa in & per certam familiam, nempè eam, qvam Spiritus S. Luc. III. recenſet, à DEO traducta, præſervata ac conſervata fuerit, (102) præprimis *cum negandum non ſit*, (ut verbis utar Magnif. Doctoris mei Dn. KRAKEVITZII) tam *animam* qvam *corpus* humanum in ſe ſpectata, bonas eſſe DEI creaturas, (103) qvibus licet malum peccati intimè, non tamen ita adhæreat, qvin communicare ſe poſſent per omnipotentiam divinam retuſâ omni impuritate. Qvi verò & illud hoc in negotio factum, otioſe inqvirere non vacat. Qvemadmodum enim nemo explicabit modum, qvomodo poſt lapſum in corrupto planè homine reliqviæ, qvæ ita vulgò dicuntur, imaginis divinæ remanſerint & qvomodo illæ propagatæ fuerint, ita multo minus & illud indagabit, qvi DEUS O. M maſſam, ex qva filio ſuo corpus adaptare voluit, ab impuritate præſervare & puram præſervatam in impuro vaſe conſervare voluerit, *qvis enim generationem ejus enarraturus*? Eſai. LIII. 8. De cætero rem hancce, cum celebr. Dn. D. MAYERO, ſimili qvodam optime illuſtrari poſſe confiderem. Sic in arida & mortua arboris putreſcentis radice virtus adhuc latitat ſeminalis, qvæ ex infimis radicibus ſilvescere ac revireſcere valet, qvod ipſum homines vix crederent, niſi ex effectu rem cognoſcerent ac ſurculum floridum progerminantem intuerentur. Qvodſi jam hoc naturaliter ordinaria virtute contingat, mirum non eſt, qvin in myſterio, modo ſupernaturali, aliqvid majus fiat, ut ita qvoqve & in emarcido peccatisqve emortuo corpore ſemen tale impollutum ab omni labe peccati ſegregatum latitarit, ex qvo *Surculus Jeſſe* naſceretur. Eſai XI. 1. (104) Nam hoc ipſum eſt, qvod itidem *Jere-*

(102) *De Genealogia Chriſti vid.* Sixti Senenſ. *Bibl. Sanct. Libr.* VII. *Diſſol. Object.* VII. *p.* 635. 636. (103) *Ita* Auguſtinus *contra Julian. Pelag. Libr.* IV. *fol.* 1034. *D. Anima & Corpus & qvæcunqve bona animæ & corporis naturaliter inſita, etiam in peccatoribus dona DEI ſunt, qvoniam DEUS non ipſe iſta fecerunt.* (104) *Rectè* Paulus Toſſanus *in Not. German.* Dieſer Stamm iſt zu der Zeit/da Chriſtus gebohren/gleichſam abgehauen geweſen / dieweil er gantz verfallen und ſeine vorige Herrlichkeit verlohren hatte / daher er auch einer Wurtzel/die da in der Erden verborgen liegt/verglichen wird. *Non pigebit B. noſtri LUTHERI verba è Tom.* VI. *Witteberg. p.m.* 12. *a. legiſſe, reiqve veritatem* Euſebium *Libr.* III. *Hiſtor. Eccleſ. Cap.* XVII. *atteſtantem conſuluiſſe.*

Jeremias per verbum צמח Cap. XXXIII. 15. adumbrare voluit, ut qvemadmodum germen ex semine arido progerminet, ita & Deus Pater progerminare fecerit, i. e. curaverit, ut formaretur & nasceretur ex Davidis semine germen justum, qvod ex præservata ab omni impuritate massa ut purum & sanctum progrederetur. Qvocirca cum D. AUGUSTINO concludo: (105) *Credamus hoc fratres, etsi argumenta Philosophorum difficile solvimus. Illud tamen qvod demonstratum est in Domino, sine difficultate fidei teneamus. Garriant illi, nos credamus.*

§. XXI. Porrò autem qvis (II) objiceret: *Nimium hôc ipsô me patrocinari hypothesi Pontificiorum pessimæ, de immaculatâ Mariæ matris conceptione?* Ita objici posse nec sine fundamento animadverti, cum PETRI GALATINI Librum *de Arcanis Catholicæ veritatis*, (106) aliqvadantenus perlustrare mihi concessum fuerit, animadverti eundem qvam maximè occupatum esse demonstrare, & ex Antiqvitate Judaicorum Doctorum corroborare; *Matrem Messiæ jam ante peccatum Adæ secundum materiam creatam & carnem ipsius semper ab omni macula peccati præservatam fuisse.* Stante qva hypothesi deinceps demum se elicere posse existimabat, & carnem Christi ab omni macula peccati ab æterno conservatam & præservatam fuisse. φλυαρία hæcce Galatini tanta, ut ibi incipiat, ubi aliorum desinat! Exploserunt merito hunc hominem, insanâ sua stribligine & loqvendi sartagine aures suorum captivas demulcendo abducere ambientem, ipsi suorum Seniores atqve saniores; & licet hoc credant insulsi Monachi, veritas tamen nihilominus devicit. Veritas ut palma, qvo magis deprimitur, eò magis renititur, eò crescit uberius, qvo premitur insolentius. Num vero qvid insolentius hac assertione? Num qvid inconvenientius hac consecutione? Mysteria forte *Galatinus* recenset, consequentia enim non demonstranda sed credenda esse videtur: Si Christus ab Adamo (non dicam ante Adamum) præservatus dicendus, ergò & Mariæ caro ante lapsum prævisa, creata & præservata sit, necesse est. Ergone & Abrahami, Davidis aliorumqve? Sicqve plures conceptione ac nativitate ab omni labe immunes evadent. Qvid jam mi *Galatine*? tu hanc conclusionem concedes? Ego verò per omnes Sanctos hanc

(105) *Serm. CXLVII. de Tempore Tom. X. fol. 925. d.* (106) *Libr. VII. Cap. III. seqq.*

tuam liberalitatem deprecor. Qvin potius Conclusionem istam ultra glacialem oceanum fugere jube & ita jube, ut simul majoris tuæ consecutionem æterno mulctes exilio. Discas, Rever. Pater, à Fratre tuo DION. PETAVIO, (107) *qvod licet mater de carne peccatrice sit concepta, non tamen statim propterea Christus debuerit esse conceptus in peccato.* Hinc qvoqve Mariam in peccato Originali conceptam fuisse, sanctos omnes fateri, abs CANO, (108) Canar. Episc. De cœtero conferri potest, *Vincentius de Bandalis* (109) B. SCHERZERUS & CALOVIUS (110) itemqve celeberr. HOGELIUS (111) atqve CALIXTUS. (112)

§. XXII. Dicet qvis (III) *Si Christus in Adamo secundum carnem est præservatus, tum non est Filius DEI naturalis, sed adoptivus tantum.* Hanc olim ex ea opinione elicuisse conclusionem *Felicem Orgellitanum* sive *Urgelitanum*, *& Elipandum*, Sedis Toletanæ Episcopum, ob controversiam illam Sec. VIII. celebres, immortalis memoriæ Theologus, B. Dn. D. DORSCHÆUS egregie observavit, sed qvid respondendum sit, simul sufficienter ostendit. (113) Ad cujus ductum & ego observo: (I.) Impiè dici: Christum secundum carnem in filium DEI esse adoptatum; cum sanctum ex Maria ortum & à Davide originem trahens, ab Angelo simpliciter *Filius DEI*, non adoptatus, sed natus, dicatur Luc. I. 35. nec si ipse adoptatus esset, nostræ adoptionis causa atqve origo existere posset, contra Gal. IV. 4. 5. 6. Roman. VIII. 15. (II.) Carnis præservationem nil minus qvam ejus adoptionem inferre, & naturalitatem negare. Qvicqvid enim verè traducitur ex Patribus, verèqve nascitur ex Mariâ, id non adoptione sed personæ conditione *Filius DEI & Mariæ* dicitur. Luc. I. 35.

Conf.

(107) *Libr. XI. Dogm Theol. Cap. XII. num* 3. (108) *Libr. VII. LL. CC. Cap. I.* (109) *pec. tract. de Singularitate & Prærogativa Salvatoris nostri.* (110) *Ille in Enneade Qvæstion. Magisterial. annex. Calci Disp. de Conceptione Mariæ. Hic Tom. V. Syst. Theol. Art. IV. Cap. I. Q. I. p.* 230. (111) *in Libr. III. de immaculata conceptione solius Domini nostri J. C. Erfurt. 1672. edit.* (112) *in Historiâ B. Virginis Mariæ immaculatæ conceptionis Helmst. 1696.* (113) *Collat. ad Concil. Francof. Sect. III. Cap.* II. *p.* 120. *add.* Natal. Alexandr. *Histor. Eccl. Sec. VIII. Art.* III. *Tom.* V. *p. m. 676. seqq. &* B. *D.* Kortholti *Hist. Eccl. Sec. VIII. Sect.* IV. *Cap.* II. *p.* 312. *seqq.*

Conf. omninò B. Dn. D. DORSCHÆUS l. c. atqve B. Dn. D. CALOVIUS. (114) Excipiet qvis porrò (IV) Saltem hoc sufficere, *qvod Spiritus S. peccatum in Materia non modò excluserit, sed penitus qvoqve sustulerit?* Ast non sufficit! Vi enim hujus conclusionis seqveretur (I.) Massam ex qvâ antea fuisse peccaminosam. (II) Spiritum S. peccatum citra satisfactionem sustulisse. Priorem assertionem maximè insufficientem esse supra §. XIII. ostendi. Posteriorem verò eadem laborare & ἀδοξολογίᾳ & ἀκυρολογίᾳ qvis amplius dubitaret? Ubi enim hoc ἐνέργημα Spiritui S. utpote tertiæ Deitatis personæ adscribitur? Ubi hæc propositio in S. fundatur Pandectis? *Arguo*: Spiritus S. aut totam à peccatis purgavit Mariæ carnem, aut partem illius. Non prius, qvod asserere esset *Papæum*. Nec posterius, qvia opus esset imperfectum, qvod in illum devolvere injustum foret. Neutro, nec ullo Ergo modo. *Insto*: Spiritus S. aut absolutè & citra respectum ad meritum Christi purgavit peccaminosam Mariæ massam, auferendo peccata ab illâ, aut respectivè nempè virtute ipsius meriti Christi. Medium non datur. Non prius, qvod ἄγραφον. Nec posterius, qvod planè ἀσύστατον, ex hoc enim seqveretur, Christum pro seipso satisfecisse, qvod esset contra I. Petr. II. 21. seqv.

§. XXIII. Diceret nihilominus qvis (V) communiter ita tamen dici, *Spiritum S. Mariam superventu suo sanctificasse*, utpote cum & illud ipsum ejus sit officii ratio? Ast observavi jam supra Ἐπέλευσιν Spiritus S. talem haud involvisse sanctificationem, qvin tantum Sancti destinationem, dispositionem, singularemve hujus massæ fœcundationem, juxta qvam idonea reddita fuerit, ut ex eâ dignum Deo exstrui posset habitaculum. Accedit huc, qvod nec ea vocis significatio h. l. esse possit, qvatenus est actus Gratiæ Spiritus S. applicatricis, circa qvod ejus potissimum versatur officii ratio, cum hic in eâ capiatur necesse sit, qvâ denotetur peccatorum remissio ac totalis sublatio. His nil adderem, nisi jam *Consensus* nonnullorum venerandæ antiqvitatis *Patrum* pro majori hujus rei dilucidatione adducendus foret. Eqvidem non diffiteor B. Patres hunc *Præservationis* modum nec ullo, qvod qvidem memini, verbo tetigisse, aut in-

(114) *Tom. VII. System. Theol. Art. III. Cap. III. Qv. IV. p. 282. sq.*

rer tot edita contra Gnosticos & Marcionitas scripta eundem commemorasse. Nihilominus tamen adducenda Patrum testimonia *Præservationi* minimè contradicere, qvin potius majorem eidem affundere lucem, haud vanâ spe mactor. Ex GRÆCIS unicus sufficiat Joh. DAMASCENUS, qvi seculo VIII. floruit, Bedæ σύγχρονος, is cum de modo conceptionis DEI verbi & divina ejus incarnatione agit, rem ita decidit (115) Μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου, πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν κατὰ τὸ κυρίου λόγον, ὃν εἶπεν ὁ ἄγγελος καθήγιον αὐτὴν, καὶ δύναμιν δεκτικὴν τοῦ λόγου θεότητος παρέχον, ἅμα δὲ καὶ γεννητικήν. Καὶ τότε ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἰονεὶ θεῖος σπόρος. Καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος, οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος. H. J. E LATINIS primum meritò locum ætatis privilegio HILARIUS occupat, utpote Seculo IV. Athanasii æqvalis, qvi conceptionis dignitatem commendaturus, (116) hæc Angeli verba laudat: *Spiritus S. desuper veniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi, addens: Spiritus S. desuper veniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans (qvia ubi vult Spiritus, spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit, & id qvod alienum à se erat, vi suâ ac potestate præsumpsit. &c.* Hilarium excipiunt AMBROSIUS (117) CYRILLUS (118) Seculi V. Episcopus ALEXANDRINUS, cui succedunt plures aliorum Seculorum Patres, qvorum tamen interpretamenta jam accumulare, nihil attinet.

§. XXIV. Ne verò, cum in superioribus plurimos aliam explicandi rationem ingressos produxerim, solus sapere, aut absqve manuductione *Præceptorum* & authoritate *Majorum meorum* qvicqvam asserere videar, ultimo jam loco ad *Consensum magnorum Theologorum* provoco. Ita verò Theologus atqve Exegeta celeberr. B. D. FRIEDLIBIUS (119) *Umbra non inqvinat, neqve dividit qvod*

(115) *Libr. III. περὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως Cap. II. fol.* 176. (116) *Libr.* II. *de Trinitat. fol.* 20. (117) *Comment. ad Luc.* (118) *Libr.* II. *in Joh.* XII. *fol.* 1000. (119) *Observ. in Harm. Evang. Libr.* I. *Classe* I. *n.* 3.

qvod tangit: Ita hæc nubes obumbravit virginem, ut illam neqve inqvinaverit, neqve diviserit aut aperuerit, aut gravaverit, verum summo modo protexerit atqve ab omni immunditiæ genere præservaverit. Idem tacitè approbarunt Duum Viri νῦν ἐν ἁγιοῖς celebratissimi, B. Salom. GLASSIUS & B. Jo. Bened. CARPZOVIUS ll. cc. Ex vivis, qvos DEUS diu incolumes servet! primus hanc sententiam consentientibus celeberrimis Theologis Wittebergens. CALOVIO, QVENSTEDIO, DEUTSCHMANNO de Cathedrâ Lutheri defendit illustris Pomeranorum Antistes Dn. D. Jo. Fried. MAYERUS (120) In ea verò sententiâ me confirmavit Summè Rever. Dnus. PRÆSES meus, Parens in Christo ac Præceptor ad cineres devenerandus, ita docens (121) *Ornabant in Christo humanam naturam, eximia animi corporisqve dona, qvæ ex divina imagine, ad qvam NB. præservante materiam generandam ab omni vitio Spiritu S. formata fuerat, profluxerunt.* & pag. 306. *Sunt autem hujus exinanitionis qvidam sive gradus sive species: Conceptio, cum filius DEI in utero Mariæ semini miraculosa Spiritus S.* ἐπέλευσει *ab omni impuritate præservato instructoqve anima ex animâ Mariæ traducta sese adunius suppositi existentiam conjunxit, ut effigiari inter dolores corpus organicum & ad futuram nativitatem elaborari posset Luc. I. 35.* Adstipulatus qvoqve est huic Maximè Rever. atqve Generosiss. Dn. D. Jo. Albert. de KRACKEWITZ, (122) qvem pariter Præceptorem ac Manuductorem fideliss imum veneror, asserendo: *Principium efformatæ humanæ naturæ Christi ab omni impuritate per divinam omnipotentiam & omnisapientiam præservatum manssisse atqve deinceps per miraculosam Spiritus S.* ἐπίλευσιν *progerminatum esse. Factum*, addit, *mihi eqvidem tutissimum in tam ardua qvæstione videtur.* Succedunt his merito AU-

(120) *Loc. cit App. ad Dissert. I. inter Select. p. 36. seqv.* (121) *In Noct. Christian. Exerc. VII. Thes. XII. p. 293. & Thes. XLII. pag. 306. add. Colleg. Thet. Anti-Thet. MSS. Cap. XVII. §. XII.* (122) *In Disp. cit. Sect. I. §. VII.* (123) *De anno 1705. pag. 649.* (124) *Part. I Off. XII. num. 3. à p. 999.* (125) In seinem Sendschreiben an *Erasm. Wolfandum* von dem grossen Geheimnüß der Menschwerdung *p. 28.* (126) *In Notis ad B.* Arndii Wahres Christenth. *Libr. I. Cap. I. p. 58. Edit. Lipsi. 1696.* (127) *Libr. IV. Cap. VI. in princ.* (128) *In fin. Prolegom. ad Jus B. & P.*

AUCTORES des Alten und Neuen (123) sua laude suisqve encomiis non destituendi, qvi ad FELGENHAUERI impiam oppugnationem contra humanitatem Christi veram: Wo Christus aus der Menschlichen Massa Fleisch angenommen hätte / so hätte dasselbe erst durch einen andern müssen erlöset werden? Optimè respondent: Wer kan so frech sagen / das es GOtt nicht müglich gewesen / dasjenige Stück Menschlicher Natur / daraus Christi Fleisch entstanden / ohne Sünden zu erhalten. &c. Agmen verò claudit AUTOR *Mensium Reservatorum*, (124) qvi hanc sententiam non tantum cum argumentis variis proposuit, sed & ad testimonia ARNDII, (125) atqve B. VARENII (126) nec non unanimem consensum Theologorum Rostochiensium, feliciter provocavit. Quos omnes jam sua laus manebit.

EPILOGUS.

Atqve sic secundis ventis jam vela B. c. D. contraho. Cœterum ea, qvæ dicta aut scripta à me fuêre, unicè honori ac sanctissimæ innocentiæ J. C. intensissimæqve erga illum pietati ac amori me litasse, sanctè contestor, hoc insuper addens, nemini hic litem intentari, sed suam cuiqve æstimationem summâ cum reverentia ex debito honore sartam tectamve servari, imò receptam qvoqve opinionem in tantum confirmari ac approbari, in qvantum huic nec obstet, nec contradicat. Qvæ jam si non omnia accuratè scripta sunt, testabuntur tamen de conatu, cui venia debetur. *Excellentissima enim animadvertenti, ne mediocria qvidem præstare, rubori oportet esse*, teste Valerio M. (127) *Si autem hic qvid pietati, si qvid bonis moribus, si qvid S. literis, si qvid Ecclesiæ Christianæ consensui, si qvid ulli veritati dissentaneum à me dictum est, id nec dictum esto.* Concludo cum *Hugone Grotio.* (128) Penes te igitur L. B. erit judicium. Si qvid mali offenderis, homini tribuito, si qvid boni, soli DEO. *Cui qvoqve soli pro summâ in hac materia mihi præstita gratia æternas persolvo gratias. Beet porrò clementissimus ille DEUS omnes meas actiones, faxitqve ut studiorum meorum qualiumcunqve præmium atqve brabæum aliqvando sit exoptatissimus, tum placida morte beandus*

FINIS.

Ad

Clarissimum Dn. KESSELRINGIUM,

Disputationis praesentis Auctorem.

QUm primum de argumento Dissertationis Tuæ sermonem mecum sereres, *doctissime* KESSELRINGI, de *præservata*, ex qvâ progenitus est Servator noster, *Massa*, scripturum Te esse indicans, ex ipsâ statim voce instituti Tui rationem intellexi. Veniebatqve mihi in memoriam, qvam freqventer animum meum subierit hujus materiæ consideratio. Qvam tametsi in universâ oeconomiâ suâ nunqvam eâ curâ, qvam Tute nunc adhibuisti, apud me expenderim, nescio tamen, qvomodo & mihi indocendo *Præservationis* vox præ *Purificationis* voce jam olim placuerit. Qvamqvam Te neqvaqvam celaverim, paulò me actionem illam aliter, qvam à Te factum postea esse comperi, menti meæ impressisse. Cum verò sententiâ Tuâ qvæ pauciorum forte est, non id intendas, ut in alios agas censuram, qvod à modestiâ Tuâ, in ipsâ disputatione ubiqve elucente, alienissimum est, sed ut intaminatæ sangvinis, ex qvo Christus ortus est, puritati studere magis videaris, non erat, ut Te, consentientibus præcipuè in hunc conatum Tuum cæteris Facultatis nostræ, qvos reverenter colis, Theologis, ab hoc proposito revocarem. Inprimis cum sententiæ, qvæ primore intuitu videntur diversæ, me judice vel conciliari possint, vel saltem, qvæ unam difficultates dubiam reddunt, eas vel certè similes, non minus alteri qvoqve incumbere, ego qvidem sim persvasus. In disputatione Tuâ nosti nihil meum esse, qvi anteqvam scripto eandem mihi offerres, nihil mecum unqvam contulisti. Nec vel venerandi Collegæ mei, vel ego qvicqvam in eâ, nisi voculam interdum

aliqvam, mutavimus, persvasi, qvemqve suo relinqvendum esse ingenio, neqve mendaces esse debere scribentium operas. Interea Studiorum Tuorum Patroni, vel ex hoc specimine, & judicium & industriam & doctrinam non vulgarem spirante, qvid qvantumqve illis, maturior factus, promittas, sine ullo negotio cognoscent. Confirmet augeatqve in Te dona sua DEUS, ut fructus aliqvando ferant, Ecclesiæ reiqve literariæ non parum profuturos. *Scr. Pridie Cal. Junii, MDCCVII.*

Disputationis PRÆSES.

Clarissimo Domino

ERNESTO FRIDERICO KESSELRING,

Regiomontano.

Philosoph. & Theol. Cultori Strenuo,

VIRO Juveni fulgidissimo, Auditori suo solertiss.

Omni studiorum, & modestiæ laude insigni.

S. P. D.

JOH. NICOL. QVISTORPIUS,

S. Th. D. P. P. & Superint.

OPtime Kesselringi, *optimum factum est, qvod ex nostra Academia visitaturus, DEO Duce, Celeberrimas Saxonum Academias, in splendidissimam Academiam Patriam mox & rediturus, eruditionem tuam haud vulgarem & apud Nos, ut olim in illustri Patria Tua specimine Theologico declarare, ac exacti apud nos temporis rationem reddere, Tecum constituisti. Tu omnibus tam docentibus, qvam discentibus mentis Tuæ ingeniosissimæ Capacitatem, ac dicendi ardorem probasti. Te in variis Disputationibus publicis (privatas taceo) & ex Ecclesiastica in Fidelium Coetu Cathedra cum omnium applausu differentem audivimus. Qvemadmodum verò Te simi-*

lem

lem Tui semper fore nullus dubito: Sic porro Spiritus S. gratiam, Patronos voto faciles & optima qvævis ex toto pectore à DEO in CHRISTO JESU Tibi expetam. Vale.

Rostochii

Festinante Calamo inter varia negotia, scrib. d. 31. Maji Ao. 1707.

QVod *Problema* hodie, *Juvenis Doctissime*, tradis,
Fit mora non paucis: pristinus hæret amor.
Attamen haud pigrô nihilôminus omnia gressu
Pervadis, innocuum dogma, *Problema* vocans.
Scilicet *Articuli Fidei* sunt rite tenendi,
Compagesqve ejus firma sit, illud opus.
At differre modo, qvem scriptio nulla Jehovæ
Tradit, & in doctos qvi cadit, ista licent.
Hoc igitur qvamvis veniat mirabile, salvâ
Fas tamen omne fide, fas & amicitiâ.
Neuter ab ore DEI *modus* est descriptus: uterqve
Qvod teneat, retinet, qvodqve retractet, habet.
Hoc caveat, qvisqvis sibi prodit dogma seorsim,
Qvod non de sanctâ statqve caditqve Fide:
Alterutrum neuter contemnat, neuter acerbè
Judicet, & neuter scommata dira ferat.
Qvæstio sit, *Problema* feras, sit gloria priscis,
Laus sua sitqve novis, judiciumqve Bonis.
Et ne qvid nimium, ne dum Problemata crescunt,
(Nam solet hoc fieri) stet dubitanda Fides.
Sic, *Kesselringi*, Tua si *Problemata* tractas,
Manserit integritas inviolata tua:
Manserit & tua laus, nec deêrunt præmia larga,
Qvæ tibi sub cunctô fidere læta precor.

JOH. PETR. GRUENENBERGIUS,
P. P. P. Consil. Consist. & per D. M. Superint.

Pererudito Dn. KESSELRINGIO,

AUTORI præsentis Dissertationis disertissimo,
Auditori suo hactenus perstrenuo atqve indefesso,
Lumen à Patre Luminum
apprecatur
ALB. JOACH. de KRAKEVITZ. D. & P. P.

NEscit diu latere virtus, sed erumpit strenuè, & non tantum Autori suo DEO, sed & hominibus Angelisqve se commendabilem reddit. Habemus egregium in Te exemplum, Ornatissime DN. KESSELRINGI; probasti enim jam inde â primo Tuo in hanc Academiam ingressu, qvanta in Te lateat Virtus, dum non solum Professorum Scholas studiosissimè frequentasti, sed in privatissimis qvoqve Colloqviis non nisi de gravioribus atqve solidioribus verba miscere svevisti. Qvoties Te non vidi flagrantem desiderio optimos scrutandi Libros? qvem in finem, qvicqvid meis in Thecis asservatur, tuæ perlectioni summa cum voluptate tradidi atqve communicavi. Nunc dum in ardua materia Theologica occuparis, talem Te geris, ut fortitudinem prudentia & modestia eleganter misceas. Gratulor Tibi tanta conamina, & qvemadmodum DEUm omnis boni fontem reverenter colis, ita animitùs voveo, ut Te magis magisqve divinis suis donis, omniqve tam corporali qvàm spirituali locupletare velit benedictione. Dabam d. 30. May. 1707.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0060
DFG

AUCTORES des Alten und Neuen (123) sua laude suisqve encomiis non destituendi, qvi ad FELGENHAUERI impiam oppugnationem contra humanitatem Christi veram: Wo Christus aus der Menschlichen Massa Fleisch angenommen hätte / so hätte dasselbe erst durch einen andern müssen erlöset werden? Optimè respondent: Wer kan so frech sagen / das es GOtt nicht müglich gewesen / dasjenige Stück Menschlicher Natur / daraus Christi Fleisch entstanden / ohne Sünden zu erhalten. &c. Agmen verò claudit AUTOR *Mensium Reservatorum*, (124) qvi hanc sententiam non tantum cum argumentis variis proposuit, sed & ad testimonia ARNDII, (125) atqve B. VARENII (126) nec non unanimem consensum Theologorum Rostochiensium, feliciter provocavit. Quos omnes jam sua laus manebit.

EPILOGUS.

Atqve sic secundis ventis jam vela B. c. D. contraho. Cœterum ea, qvæ dicta aut scripta à me fuêre, unicè honori ac sanctissimæ innocentiæ J. C. intensissimæqve erga illum pietati ac amori me litasse, sanctè contestor, hoc insuper addens, nemini hic litem intentari, sed suam cuiqve æstimationem summâ cum reverentia ex debito honore sartam tectamve servari, imò receptam qvoqve opinionem in tantum confirmari ac approbari, in qvantum huic nec obstet, nec contradicat. Qvæ jam si non omnia accuratè scripta sunt, testabuntur tamen de conatu, cui venia debetur. *Excellentissima enim animadvertenti, ne mediocria qvidem præstare, rubori oportet esse*, teste Valerio M. (127) *Si autem hic qvid pietati, si qvid bonis moribus, si qvid S. literis, si qvid Ecclesiæ Christianæ consensui, si qvid ulli veritati dissentaneum à me dictum est, id nec dictum esto.* Concludo cum *Hugone Grotio.* (128) Penes te igitur L. B. erit judicium. Si qvid mali offenderis, homini tribuito, si qvid boni, soli DEO. *Cui qvoqve soli pro summâ in hac materia mihi præstita gratia æternas persolvo gratias. Beet porrò clementissimus ille DEUS omnes meas actiones, faxitqve ut studiorum meorum qvaliumcunqve præmium atqve brabæum aliqvando sit exoptatissimus, tum placida morte beandus*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003437427/phys_0061
DFG